

P. CHRYSOSTOMI HANTHALER
MONACHI CISTERCIENSIS IN CAMPO LILIO-
RUM AUSTRIÆ INFERIORIS

EXERCITATIONES
FACILES

DE

NUMIS
VETERUM

PRO TYRONIBUS,

IN QUIBUS

LACONICA QUIRITUM SAPIENTIA,
REI NUMARIÆ VETERIS RUDIMENTA, FACI-
LI METHODO PER EXEMPLA PANDUNTUR, OPE NU-
MORUM COMPLURIUM PICTORUM, ET PER DIALO-
GOS FAMILIARITER EXPOSITORUM.

PARS III.

EXHIBENS

AVERSAS NUMORUM, ET IN EISDEM
GLORIAM AUGUSTORUM
BELLICAM

EXPENDENS.

VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis & Sumptibus Joan. Thomæ Trattner, Univ. Typographi. 1742.

REVUE GÉNÉRALE DES
MÉTALLURGIQUES EN GÉNÉRAL
PAR M. DE LAUNAY

EXERCICES
MÉTALLURGIQUES

NUMÉROS
VOLUME



PARIS
MÉTALLURGIQUES

PARIS
MÉTALLURGIQUES

ARGUMENTA
DIALOGORUM

HUJUS PARTIS III.

DIAL. I. Introductorius, ubi statuuntur Partes Bellicæ Augustorum
Gloriæ: I. Apparatus? II. Lucra: IV. Commoda Belli.

II. De Militum Romanorum Delectu, & Conditione varia, Labore,
Salario, Stipendio, Juramento, Missione.

III. De Ordinibus, & Signis eorum.

IV. De variis Cohortium, & Legionum Cognominibus, & Signorum
ornamentis.

V. De Ducibus Romanis, Militumque Præfectis: ubi etiam de Pœnis
Militum ignominiosis, acerbis, capitalibus.

VI. De Jurejurando, Fide, & Concordia Militum.

VII. De belli denuntiatione per Feciales, Profecione Imperatoris in Ca-
stra, horumque forma egrægia, & Urbica.

VIII. De Adlocutione Militum, Augurio, Obsidione Urbium, & ma-
chinis ad hanc adhibitis.

IX. Singularia nonnulla Militum præstantium Acta, & facta.

X, De Victoriæ Imaginibus communibus, ac indefinitis,

XI. De

- XI. De singularibus, ac definitis Victoriarum typis.
XII. De Primo Victoriarum Lucro, nempe Prædis, Tropheis, & Spoliis opimis.
XIII. De Provinciis devictis, & captis.
XIV. De Ducum Victorum Elogiis.
XV. De Præmiis Militum variis, cum primis de Coronis diversis.
XVI. De Præmiis Ducum, Supplicatione, Ovatione, Ornamentis Triumphalibus, ac de ipso Triumpho.
XVII. De Commodis Victoriarum, Pace, reparata Republica, Restituta Temporum Felicitate.





DIALOGUS I. INTRODUCTORIUS.

TULLIUS docens, PUBLIUS discens.

PUBLIUS.



Uream horam, qua rursus experior: *Quod I,*
differtur, non aufertur. Honorande Tulli:
absque religione foret, Fortunæ profecto re-
duci mole falsa, calidoque thure comprecar-
er, quod, intercurrente plusquam decennio,
quo *Exercitationes nostræ faciles de Numis vete-*
rum pro Tironibus vario casu interceptæ sunt,
hodie tandem ades iterum, rem & mihi, &
aliis bene multis gratissimam profecuturus. Tantum abest, mo-
ræ hujus diuturnitate resedisse in me impetum discendi, ut po-
tius, aucto interim pro quantulacunque facultate cimelio meo,
tardor quoque æris hujus ingeniosissimi rite intelligendi vehemen-
er increverit. Instituisti me sane in multis: Laconicæ tamen Qui-
ritum Sapientæ, in Numis reconditæ, sinus tam amplus est, quo
exilia Tironum ingenia, tanquam Euripo, facillime sorbentur,

ita quidem, ut, in quo se maxime sapere confidunt, maxime fallantur. Destituit eos Historiæ cognitio: cum primis vero rerum nexum, & ordinem ignorant. Hæc interim discendi animam rectissime dixeris. Quare meo pariter, publicoque nomine tibi supplico, rem pro tua benevolentia ita facias ut *Bellicam Augustorum Gloriam*, æque ac antea *Politicam*, nunc tela una, filoque iugiter sibi cohærente colligatam conspiciere liceat. Dici enim non potest, quanto laboris compendio doceat, qui disperfarite colligit, ac efficit, ut abundet nihil, nihilque deficiat.

II. *TULLIUS*. Fortis profecto censendus est ignis, quem cineres diuturni non extinguunt. Carbo carbonem accendis, tuoque discendi ardore ipsi mihi ad instruendum te, qua possum, ignem supponis. Nosti vero, quam arduus, quamque prolixus labor *Fastorum Campiliensium* obruat me: præterea, quam adversa fortuna boni illius viri, qui sumtum anterioribus Partibus præbuit, rem omnem afflixerit, penitusque prostraverit, adeo, ut hanc ipsam Partem, jam abhinc triennio suis curis affectam, relinquere cogereetur. Quod si spes nova, quæ denuo affulget, vota nostra non iterum ludat, disces, quod optas. Ego quippe non solum hanc Partem *III*tiam, verum & *IV*tam, sequentem *de Religione Augustorum*, tuis commodis dudum tenui paratam. Prior porro *Bellicam Augustorum Gloriam* Scenis aliquot, concinne sibi succedentibus, quantum *Tironi* sat est, tanquam in theatrum deducet.

III. *PUBLIUS*. Roma, quæ *Conditorem* suum *Romulum*, cum *Remo* fratre, *Marte* parente, ex *Rhea Sylvia* genitos comminiscetur, *Martia* tota, armatam se semper in auro, argento, & ære signari, in statuis effingi, in templis adorari concupiit, arma præterea in orbe perpetuo circumtulit: ut adeo nihil frequentius, quam *Signa* militaria, *Victorias*, *Trophea*, *bigas*, *quadrigasque triumphales Numi* redhibeant. Hæ solæ profecto *imagines*, omnem in terram deportatæ, metum facere populis, ac regionibus poterant, & suadere, ut gentem, semper quasi victricem, submisso potius vertice colerent, & amicam haberent, quam *Signis* oppositis provocarent in se, hostemque sentirent. Tantum ex contemplatione *Cimelii* mei sapere per me didici. Nescius autem haud sum, generalem hanc cognitionem, rudem duntaxat, & omnium esse, quibus oculi sunt, mensque non penitus ad *sarculum*, & *aratrum* damnata. Quæ vero *Rei Militaris Romanæ* propria *indoles*, quæ disci-

disciplina, quis ordo, quod artificium, absque te magistro semper ignorabo.

TULLIUS. Bene multi quidem, & præclari sunt Viri, partim singuli, partim in grandibus *Grævii*, atque *Gronovii* Corporibus Antiquitatum Græcarum, atque Romanarum junctim legendi: qui e *Livio*, Historiæ Romanæ Parente, aliisque florentis Romæ Scriptoribus, quidquid erui potuit Rei Romanæ Militaris, probe arrosis unguibus extraxerunt. At vero in manus Tironum raro isti perveniunt: insuper autem ad humile, & inexercitatum eorum ingenium se haud satis demittunt: longi præterea, latique, nec tamen justo cum ordine, vagantur: demum ea, quæ sunt in Numis, exponere, horumque se intra limites continere, quod nostri propositi est, nequiquam secum statuerunt. Complura hujus argumenti creberrime tibi a me laudatus Ill. *Spanhemius* Tom. II. de Præstant. & Usu Numismat. antiquor. pro more suo exquisita cum eruditione attingit, summatimque perstrinxit: cum primis Dissert. X. §. II. de Actis Belli in Numis Familiarum a pag. 210. & item Dissert. XIII. §. VI. de Actis Belli in Numis Impp. a pag. 626. Nam utriusque hujus ordinis monumenta pro Tabulis Antiquis Rei Militaris Romanæ inspicienda sunt. Verumtamen non complexus est rei latitudinem, & ea duntaxat percensuit, quæ bello ipso sunt gesta, vel eo confecto subsequuta. Quomodo lectus, instructus, & in ordines distributus, ac demum educatus fuerit Miles Romanus, penitus præter misit. Verum est, hæc e Numis non intelligi, cum non exhibeantur. Sed in omnibus fere rebus ea, quæ consecuta sunt, nemo integre perspicit, quamdiu, quæ præcesserant, ignorat. Ergo sustine tantisper, lætissime Publi, donec de his, quæ dixeram, nonnihil te doceam, & qua primigenia phrasi Scriptorum Romani hæc singula enunciaverint, tibi breviter exponam. Cætera Partibus deinde quatuor exequar: I. Apparatum: II. Acta: III. Lucra: IV. Commoda Belli tecum exploraturus. *PUBLIUS*. Dissere pro arbitrio tuo: docilem, si quem alium, in me discipulum spera.



DIALOGUS II.

De Militum Romanorum delectu, ac conditione.

TULLIUS.

- I. **B**reviter dicturus, primum te obsecro, ut singulis verbis probe intendas: quoniam amplissima sunt, quæ paucis accipere cupis. Pulchre successit Romanis belli fortuna, quamdiu, vel quando soli cives militabant, primumque pedites duntaxat. Tum namque pro aris & focis, domibus nimirum, uxoribus, & liberis certabatur: nec facile timidum pedem quis retulit, sua ne perderet. Ampliata vero Republica civibus pariter sublecti sunt cujuslibet generis homines, par ut hostibus numerus prodiret. Horum autem admodum dispar erat fides, & animus. Cives tunc non jam sua, sed parta duntaxat ex alienis tueri debuerant. Qui cives non erant, arduitate belli, metuque discriminis, facile terga vertebant, nisi signa plane desererent. Unde quantumlibet magnus Numorum cumulus Victoriis notetur: ingentes tamen pariter clades iste Populus retulit, donec plane succumberet. Vere igitur *Janus Vitalis* Poëta Panormitanus celebrat. Sec. XVI^{to}, de Roma sui temporis cecinit:

Nunc *victa* in Roma *victrix* Roma illa sepulta est,
Atque eadem *victrix*, *victaque* Roma fuit.

- II. **PUBLIUS.** Acutum hoc, simul vero & miserum, inevitabili rerum omnium fato. Sed unde sat pronum erat, exercitum ex Civibus legere? **TULLIUS.** Ex censu. Primum namque Censurum erat attendere, ne adulti quilibet cælibes manerent, ut hoc pacto præsens populus futurum perpetuo procrearet. Deinde in Censu Patres Familias omnes, qui in Urbe, in Castris, in Coloniis, in Municipiis essent, jurejurando fateri cogebantur Nomina, ætatem, liberos, fortunam, res mancipi omnes: adhæc etiam, quot

quod stipendia meruerint, sive quot annis milites egerint, præterea quos gesserint Magistratus. Quæ dum curate descripta servarentur in Tabulis publicis, facile fuit Consulibus, nosse omnes, qui militari essent ætate. Neque alio opus erat, quam ut Consules e tribunali pronunciarent: *Tu Lepide, in Marce, Miles esto. Ad quod ipsi: Presto sum ad militandum pro Patria.*

PUBLIUS. Docuisti me jam de Censorio Munere *Part I. Dial. III.* *V. n. 9. ac 10.* sed nihil horum, quoniam huc proprie attinebat, commemorasti. Obscuro autem te, *Militaris ætas* quæ fuerat? **TULLIUS.** Cum ordinarius Delectus fieret, non admittebantur, nisi qui pares arduis Militum laboribus habiti sunt. Oportuit quemquam, emensò jam anno decimo septimo, prætextam puerilem possuisse: deinde annum sextum & quadragesimum nondum explevisse. Quorum hos intra limites ætas decurrebat, juvenes censebantur. Debebant vero deligendi pariter esse *Statura militari*, nempe 5. pedum, & 7. unciarum: quamobrem *incomate*, sive mensura dictæ longitudinis explorabantur. Oportuit eisdem insuper Cives esse, & ex ingenua tribu. Dum porro majori, atque celeriori exercitu opus esset, neque ætati, neque staturæ religiose admodum attendebatur. Immo vulgatum tunc fuit in plebem, iis, qui XVII. annis minores, & prætextati, sacramento dixissent, stipendia æque processura esse, ac si militari ætate mereri cõpissent.

PUBLIUS. Quid erat, *mereri stipendia*, & hæc procedere? **TULLIUS.** Quot annis militaverat aliquis, tot *stipendia* meruisse dicebatur, totque *processerunt* eidem, sive computata sunt a tirocinio, i. e. primo militiæ suæ anno. Horum XX. si Miles, quo nomine Pedites veniebant, & Eques X. in castris exegerit, *Emeritus* habebatur, & *justam* ex illis *missionem*, sive dimissionem flagitare potuerat. Erant autem & alii Delectus militaris modi. Commoditas enim nonnunquam inter tumultum negotiorum, item habita celeritatis amplioris ratio, effecerunt, ut Consules Tabulas Censorias non integre pervolverent, singulosque ex nomine compellarent, sed parte solummodo evocata, eos jusserint, ceteros conducere, cum formula: *Vir virum legat.* Id, quod etiam Belliçi Imperatores designati quandoque faciabant. Sin Rempublicam summa perurgeret necessitas, is, qui se Ducem obtulit, Liv. L. XXIII. quemadmodum de *Scipione* legimus, publice conclamabat: *Ex-*

templo arma caperent, qui Rempublicam salvam vellent. Tum Cives omnes, quibus Patriæ salus curæ fuit, concurrebant, dictique sunt *Milites Subitarii*.

V. *PUBLIUS.* Anne omnibus, quæso te, Civibus virtus adeo mascula fuit, ut ad unam evocantis vocem nemo non præsto esset?

TULLIUS. Id ne tibi persuadeas. Peperit & Roma, quibus pro Patria vivere dulcius erat, ac mori. Excusare se quidem nemini licuit, nisi qui anno illo Sacerdotium gessit, aut Magistratum: aut, quem ætas exemit: vel qui immunitatem concessam allegare potuerat: aut morbum, viriunque imbecillitatem jurejurando professus est: vel demum, qui emerita jam stipendia omnia probavit. Fuere nihilominus juvenes ignavi, qui, ne armis tractandis habiles essent, sibi pollices, aut alia membra ultro præciderunt, *Murcorum* convitio inde contracto, Adversum autem hujusmodi proditos severissimis legibus actum est.

Sueton.
in Aug.
c. 24.

VI. *PUBLIUS.* Quid porro factum, aut quomodo, ut promiscui homines Civium loco subrogarentur, quod supra n. I. edixeras?

TULLIUS. Id ampliata, quod æbiam, Republica factum, dum abundantia ditionum, opumque, Cives mollescere ocepissent, & non jam domi pro suis laris, focusque, sed in exteris provinciis bellandum esset. Tum etenim permissum, ut, cum Tribunis mandatum foret, hoc imperium ad Cives deferre, *Vir virum legat*, etiam liceret, pecuniam iisdem ad militem legendum offerre. Qua percepta, uno cumulo Cives, ac servi, immo & malefici, pœnæ hoc pacto se subducturi, ære conducebantur. Hi autem tales, mobilis fidei causa, *victuris in cute punctis*, quod ait *Vegetius*, i. e. stigmatate manuum inulto notabantur: ut scilicet, quando Signa perfidi desererent, undique locorum innotescerent.

De re
milit. L.
II. c. 5.

VII. *PUBLIUS.* Lecti quomodocunque Milites citra dubium, nostro more, militare sacramentum dicere debuerant: quodnam illud?

TULLIUS. Hoc & variæ formulæ fuit, & sæpius edebatur: quamvis ubi, ac quoties, propter obscurum *Livii* locum, disputent Commentatores. Certum est, id semel ordine, ac lege, dicendum fuisse: sin iterum, extra ordinem, ac libere fiebat. Formulæ fuerant: *Se Imperatoris imperia facturos.* Aut: *Facturos pro Republica, nec decessuros ante, quam stipendia legitima fecerint.* *Conventuros jussu Consulis, nec injussu abituros, aut fuga, aut formidinis causa.* Lege quando-

quandoque sacrata peculiariter adigebantur ab Imperatoribus Exercitus integri ad conjurandum : *Se non nisi Victores reddituros : nisi vicissent , capita sua Jovi , vel Dis Manibus sacra fore.* Hoc porro Sacramentum adeo necessarium habebatur , ut , *Catone* teste apud *Plutarchum* , qui eo non tenebantur , etiamsi alias in Castris , exercituque versarentur , interficiendi tamen , aut vulnerandi hostis jus minime haberent.

Quæst.
Rom. 39.

PUBLIUS. Ausim te nunc de *Stipendio* interrogare ? **TULLIUS.** Nullum id erat primis Reipublicæ temporibus. Aere proprio Milites in Castris haud secus , ac si domi fuissent , victitare debuerant , quin eis liceret , quacunque arte , quam callerent , lucra quælibet quærere. Hoc porro dum tot in annos grave quamplurimis , immo & impossibile foret , constitutum est ærarium publicum , unde *Salarium* , *Stipendiumque ad diem* reciperent. Et *Salarium* quidem constabat frumenti , carnis , & olerum portionibus : quæ , cum haberi possent , illata Cellario Castrensi , abinde distributa sunt. Vino universis interdictum. *Stipendium* æs fuit signatum : cujus canon pro fortuna Reipublicæ , aut Consul discretionem , sive Cæsaris placito , varius erat , nunquam vero grandis , etiam , dum subinde , ineundæ benevolentia causa , duplicaretur. Legimus certe apud Scriptores , *duos obulos in diem mereri* licuisse : *denis in diem assibus vitam æstimatam.* Porro ne tantillum quidem rite præbitum esse , perpetua fere inter milites querimonia fuit : præterea quod , si etiam redderetur , *Stipendii* tamen dies longis mensibus extracta sit.

VIII.

Tacit.
Annal. I.
17.

PUBLIUS. Arma quæ fuerant ? **TULLIUS.** Triplicis erat notionis hæc vox. Arctæ primum , & ea solummodo completæ , quibus corpus obtegitur , atque munitur , Cassidem scilicet , galeam , loricam , thoracem , ocreas , cum primis vero Scutum. Latioris deinde , ac illa innuentis , quibus hosti nocetur , enses nempe , gladium , pugionem , hastam , lanceam , tela. Latissimæ tandem , & universam illam supellestem designantis , quæ ad munienda Castra propria , impugnanda hostilia , expugnandas Urbes , quatiendos muros , dejiciendas turres valuerat. Non est , ut his immerer : pleraque nobis Numi commonstrabunt. Addere tamen oportet , armorum deportatione vehementer auctum esse militum laborem , sane perarduum. Vel solus iste longe supra stipendia fuit , etiam quæ aliquando largiora fuerant ,

IX.

rant,

rant, tametsi a vulneribus, ac morte, metus nullus existisset.

X. *PUBLIUS*. Undenam tantus? *TULLIUS*. Ex oneribus, & itinere. Neque enim solummodo armis gravabantur, quæ induerant: verum etiam cibaria plurium dierum, ac sæpe dimidii mensis, vasa præterea nonnulla, quibus undique indigebant, *Uensilium* nomine compellata, insuper & palos aliquot, Castris ex templo vallandis necessarios, sive stipites acutos, ramis hispidos, qui & *valla* dicebantur, quemlibet secum deferre oportuit: insuper vero sic onustum *gradu* tamen *militari* procedere, i. e. quinque horarum spatio saltem 20. millia passuum, nisi plura, conficere: sæpe pluribus horis ambulare, utcunque soles, imbresque se haberent.

XI. *PUBLIUS*. Licetne tam ardua veteribus testimoniis tuto asserere? *TULLIUS*. Omnino: unum duntaxat, & alterum accipere. *Exercitus* (quod *Vegetius* ait) ex re ipsa, atque opere *Exercitii*, nomen accepit. Tirones docendi, pondus bajulare usque ad sexaginta libras, & iter facere gradu militari. - - - Horis quibuslibet æstivis quinque millia passuum conficere. Cui *Cicero* consentit, inquit: „ Nostri *Exercitus* quis labor, & quantus agminis? Ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad usum velint: ferre vallum &c. „ Utrisque *Virgilius* ita concinnuit:

L. II. de „ *Exercitus* (quod *Vegetius* ait) ex re ipsa, atque opere *Exercitii*,
Re mili- „ nomen accepit. Tirones docendi, pondus bajulare usque ad
tari. „ sexaginta libras, & iter facere gradu militari. - - - Horis qui-
Quæst. „ buslibet æstivis quinque millia passuum conficere. „ Cui *Cicero*
Tusculanar. L. II. „ consentit, inquit: „ Nostri *Exercitus* quis labor, & quantus
16. „ agminis? Ferre plus dimidiati mensis cibaria: ferre, si quid ad
Georgi- „ usum velint: ferre vallum &c. „ Utrisque *Virgilius* ita concin-
cor. III. nuit:
v. 346.

Non secus, ac patriis acer Romanus in armis
Injusto sub *fascæ* viam carpit.

Injusto, ait, i. e. viribus prope graviori. *Cajus Merius*, compaffus tanto fatigio, non, ut leviores fierent *Ærummula*, sic enim hæc onera vocitabantur, sed ut incommodo minori saltem portarentur, furcas excogitavit, humeris militum impositas e, quibus cibaria, & vasa, in fasciculos aptata, penderent. Sub his quippe, observante *Frontino*, tam habile onus, quam requies facilis erat. Sed inde pervagato sarcasmo milites dici cæperunt *Muli Mariani*.

L. IV.
c. 1.

XII. *PUBLIUS*. Tam dura militis conditio, quæ si me hodie premeret, nescio, quantum ad eam animi haberem, non utique immerito effecit, ut *Missionem*, quisquis poterat, votis omnibus procuraret? *TULLIUS*. Certe: sed eam sperare profecto ægerrime licuit,

licuit. Varia illa fuit, & optanda quidem alia, alia vero maxime detestanda. *Missio iusta* erat, & quæ negari nemini poterat, si quis confecta omnia Stipendia rite allegasset. Retulit hic talis præconium *Emeriti*, & fiebat, quod *Ovidius* cecinit:

Miles ut *emeritis* non est satis utilis armis,
Ponit ad antiquos, quæ tulit Arma, Lares.

Trist. L.
IV. 8. 21.

Diis nimirum domesticis arma suspendebantur, grati animi tesera. Luxata deinde membra *Missionem* pariter *iustam* promerebantur, cum epiphonemate *Causarii*, h. e. valetudinis causa dimissi. Quibusdam Imperator discedendi gratiam fecit ante tempus. Sed hoc erat *injuste* mitti, nec proderat, cum novus institueretur delectus. Iterum enim ad complenda stipendia reverti oportuit. Tandem non pauci, vel ignaviæ, vel delicti causa, *ignominiose* mittebantur, quibus dictum ex *Lucano*:

--

--

--

--

--

Discedite

Pharfalic. L. V.
v. 357.

Castris,

Tradite nostra Viris ignavi Signa Quirites.

Ubi advertas, velim, nihil ignominiosius militibus visum, neque aliud aliquid majori apud eos convitio habitum, quam si eos Imperator *Quirites*, quasi domui magis, & fornaci, quam Castris quadrantes, appellasset. Cum contra *Commilitonum* nomen, eis post victoriam tributum, summi præconii loco censerent. *Julius In Cæs. c.*
Cæsar, ut apud *Suetonium* lego, „*Decumanos*, missionem flagitan- 70.
tes, - - - una voce, qua *Quirites* eos pro Militibus appellarat, „
tam facile circumegit, ut ei, *Milites* esse, confestim respon- „
derent. „

Et ista quidem hætenus compendio maximo. Novi equidem, de his omnibus innumeras quæstiones agitari ab Antiquariis: verumtamen Tironi mera dubia objicere, eundem confundere potius est, quam erudire. Reliquarum rerum argumentum in Re militari Romana Numi nobis offerent: quorum tibi, manu non parca, decem & octo supra centum, sex in Tabulis, ad commonstrandam Gloriam Bellicam, depinxi, plus aliunde, quam

e tuo cimelio electos : ut , qui communibus plerumque gaudes , etiam rariorum specimina teneas.

- XIV. *PUBLIUS*. Liberali certe tu animo es , quem nullus mei , immo boni publici amor fatigat. O quale Theatrum Glorix Augustæ rursus vel primis obtutibus haurio ! Ignavus certe sit penitus , dignusque , cui Signa omnia Palladis tradere imperem , nisi vel solus eidem hic conspectus elegantissimorum Numorum voluptatem pariat , totumque ingenium excitet.

DIALOGUS III.

De Ordinibus , & Signis Militum Romanorum.

TULLIUS.

- I. **E**xercitus omnis Ducibus , ac militibus constitit. Utrisque porro , ut labor proprius incubuit , ita pariter triumphus gloria debebatur. Aequum igitur est , neutros tacere. Sin autem Delectus ratio habeatur , primum quidem de Duce , quem Imperatorem dixere , Roma consuluit. Quoniam vero propter milites Dux , non e converso : de Corpore prius , quam de Capite , agere congruit. Ubi denuo monendus es , Optime Publi , Martiam Romam solo quasi Marte suo se mundi Dominam fecisse. Quare modis omnibus Cives ad bella incitavit , spe muneris amplioris nemini facta , antequam stipendia sua in Castris , clarus armis , fecisset. Hinc juvenibus omnibus primum quidem nubendi , tum vero militandi necessitas imposita fuit , ut nascentium numerus occumbentium jacturam perpetuo suppleret , & e tironibus alii semper , aliique , in locum veteranorum , & emeritorum succederent. Claritudini factorum , etiam apud gregarios milites , magna Præmiorum varietas decreta : de quibus loco suo coram te disseram. Qui porro bellicæ fortitudi-
ni

ni egregiam insuper dicendi dotem adjunxerat, is demum principem in locum evasit.

Militabatur initio solis *Peditibus*: quibus demum *Equites* pariter, sed longe minori numero additi. Unde robur potissimum in *peditibus* erat. Nihilo tamen secius *Equo mereri* multo præclarus fuit, viamque ad summa Reipublicæ munia instravit. Unde & *Livius* *Equites Seminarium Senatus* prædicavit. Juventus equestris, trabeis ornata purpureis, & oleagineis cincta coronis, in singulos annos per Urbem semel, ac iterum, forte tertium pariter, ut lustraretur a Censore, solemniter processit, cum equi tamen sui periculo, si quis eorum aut moribus dissolutus, aut bello ignavus deprehenderetur. *Pedites* quoque *Classiarii*, qui navibus certabant, magnopere quoque antecellebant, eo, quod meri Cives essent: cum ad navigia omnis generis hominum nomina recipebantur. Posteaquam autem, Triumviratus crudelis tempore, totis *Classibus* certabatur, universus flos militum Neptuno creditus fuit.

PUBLIUS. Sunt mihi Numi complures cum Signis variæ formæ, & communi Militum, vel Exercitus inscriptione. Sed in octo prioribus Tabulæ tuæ Imæ. Iconibus longe alia Nomina lego. Unde varios fuisse Militum Ordines, facile intelligo, etiam ære descriptos. Quem autem inter se nexum illi habuerint, quo gradu alter alterum præverit, ex te avidissime audiam. *TULLIUS*. Romulus & Urbem pariter, & Exercitum instituit, cum hostes mox genita Civitas tam habuerit statim, quam provocaverit. Et initio quidem eundem nihil nisi turmas eduxisse, facile cogitabis. Amplo autem jam Civium populo, ex devictis aliquoties hostibus aucto, quos legerat Milites, *Legionibus* divisit, nomine ex ipso delectu assumpto. Harum quamlibet tribus millibus Caputum definivit: distinxit vero *Cohortibus* decem, & *Manipulis* triginta. Sic Manipuli Cohortem, Cohortes Legionem, Legiones Exercitum composuerunt. Cohors trecentorum capitum tribus Manipulis conficiebatur: e quibus primus centum *Pilani* constabat: alter centum *Hastatis*: tertius centum *Principibus*. Porro *Pilani*, a *pilæ* dicti, cum galeas necdum gestarent, erant omnium juniores, tirocinium ponentes, ac prima stipendia facientes. *Hastati* fuere natumajores, usumque jam armorum, & militiæ habebant. *Principes* erant natumaximi, plurium annorum usu exercitati, & veterani,

terani, quorum princeps esse robur censebatur. Hic ordo perpetuo servatus est: dum contra numerus capitum in Legionibus perpetuo creverit ad quatuor, quinque, sex, octo, decem, juxta nonnullos duodecim plane ad millia, uti necessitas, ararium, Cæsarumque voluntas ferebant. Equitum insuper Cohortes extra numerum ad Legiones adjunctæ: adeo tandem, ut Legio una Exercitus dici posset. Tunc & Cohortes, & Manipuli, longe fortiori capitum numero evaserunt.

IV. *PUBLIUS.* Memini, me de aliis adhuc Militum nominibus, cum primis de *Triariis* audisse: quodnam isthoc erat hominum genus? *TULLIUS.* Comitabantur Legionem *Velites*, aut *Subsignani*, tanquam supplendo lecti, & item *Triarii*. Primi nullam ad Cohortem, nullumque ad Manipulum pertinuerunt, sed, ubi opus erat, succenturiabantur. *Triarii* prorsus Veterani fuere, ac Emeriti, stipendiis jam omnibus defuncti, vel missi jamjam, aut statim, cum commodum essent, mittendi. Interim hærebant in postrema exercitus parte, nec arma capere cogebantur, nisi hostis ad illos usque penetrasset, ubi fere conclamata jam res erat. Hinc natum proverbium: *Res ad triarios rediit.* Occurrunt præterea apud Scriptores, & Interpretes eorum, *Addictivi*, *Accensi*, *Ferentarii*, *Rosarii*: qui tamen cuncti militibus famulabantur potius, quam ipsi militabant. Unde, dum Legio computabatur, aut cohors, nemo omnium horum venit in capitum censum. Sed neque *Sociorum*, neque *Auxiliarium* agmina, quantumlibet exercitum auferent, Legionibus adnumerata sunt. Erant porro *Socii* aut nati Cives Romani, alibi vero in Coloniae degentes, vel jure Civitatis donati: qui ære suo merentes, nil nisi Salarium, i. e. annonam, absque stipendio capiebant. *Auxiliares* ex omnibus Provinciis, Romæ subiectis, publico sumtu conducti fuere, salario simul atque stipendio donati. Nunc ad Numos accedamus. Age Publi, & eum, qui est in capite Tabulæ Imæ, recense.

V.
Tab. I.
n. 1.

PUBLIUS. Jucundam rem imperas. *Aversam* solam intueor, quæ aram redhibet, pone quam proxime aquila super hastam: extra vero hinc & inde signum aliud militare cerno erectum, cum scutulibus tribus, unicuique affixis. Infra scribitur: *SIGNA*: ipso in Numo signiferis hastis apponuntur literæ singulares P. R. *TULLIUS.* Pinxi tibi Numum istum ex *Ursiniano* Familiarum Opere, per Cl. *Patinum* recognito, ubi p. 306. inter monumenta Gen-

Gentium incertarum exhibitus, auro, argentoque signatus notatur. *Adversa* Caput Martis galeatum, nullo nomine, vel elogio addito, sistit. Legenda collecta indubie hæc est: SIGNA P. *opuli* R. *omani*. PUBLIUS. Quanta gravitas hujus triverbii, per quod Signis universa prope Populi Romani majestas communicatur! Quid vero mirum, cum alias jam ex *Tertulliano* mihi percensueris, *Apolo-* *Religionem Romanorum, totam Castrensem, Signa venerari, Signa jurare,* *Signa omnibus Diis præponere?* Idcirco in hoc Numo aram inter illa mediam comparere existimo. *get. c. 16.*

TULLIUS. Intererat Reipublicæ, Milites ad Signa sua sequenda, tuenda, recuperanda, Religione adstringi: ut, si desererent illa, a se in Sacra, Deosque peccari, penitus existimarent. Ideo nihil Diis, quod non etiam Signis, impensum. Ibi salus quærebatur, & obtigit, dum ex odio, vel delicto, caput periclitabatur. Quare *Tacitus* hæc Signa haud aliter, quam *Altaria* *Annal. I. Delum, & Numina Legionum* appellavit. De *Artabano* Parthorum Rege *c. 39.* *Suetonius* testabatur: *Transgressus Euphratem, Aquilas, & Signa Romanorum,* In *Calig. Caesarumque Imagines* adoravit, cultu scilicet plane Divino. Per *c. 14.* signa non secus, ac per Deos, jurabatur, nec per illa solum, verum *Liv.* etiam ad illa. Ornabantur, quemadmodum Dii, festis redeun- *XXVI.* tibus, aut ex occasione solemniter actis, immo & inungebantur. *48.* *Inde Claudianus:*

-- -- -- Mavortia Signa rubescunt *de Nupt.*
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ. *Honor.*

Item vetus marmor apud *Gruterum* sic habet: *& Mar.*

Coronæ. inlatæ. Signaque. inuncta. *v. 187.*

Imputabatur Signis etiam Virtus fatidica, & ex ipsis auguria captabantur. Cum namque acutis, & hamatis virgis, quibus erant imposita, terræ intra Castra tam profunde infingerentur, ut non facile vento, alioque impetu dejici possent: si arma conclamarentur, & prodeundum in aciem esset, omine bono accipiebatur, ubi facile a signiferis convellebantur. Ast, si convellent, ut ante pugnam Cannensem, *Eloro* teste, fiebat, multum resisterent, quod, referente *Appiano*, in bello Parthico similiter accidit, Militum omnium animi, cladem præsagientium, concidebant.

debant. Tandem in summo pugnae calore, si quando alea gravissime periclitaretur, leguntur Imperatores nonnulli Aquilam Signifero eripuisse, & ultro medios in hostes projecisse. Quo viso milites omnes, ceu tigris raptis catulis, exardescentes, omnibus nocendi viis incaluerunt, ut Aquilam revindicarent. Hoc qui facere omiserat, fustuario mortem certo certius accepit: si Cohors, aut Legio, segniter egerit, jubebantur in se mutuo irruere, propriisque se gladiis conficere. Qui fuga fortassis evasit, undique locorum infamia notatus, ac capite devotus, per omnem vitam remansit, tanquam qui Deos, & Sacra prodidisset. Ita *Livius*, ac *Dionysius Halicarnassensis* loco non uno. Confer *Aceram novam Philologicam* Part. II. p. 641.

VIII. **PUBLIUS.** Quem altero loco pinxisti, Numus, tribus iterum Tab-I.n. Signis erectis notatus est. Medium Aquilam habet: dextrum, 2. laevumque, praeter Scutula, in affixis parvulis tabellis has quoque literas refert, H. nimirum, & P. Extra Signa, non circum, sed columnatim scribitur: C. ajus VAL. erius FLAC. cus IMPERAT. or. Inter Signa notatur: EX S. enatus C. onfulto. **TULLIUS.** Hic pariter Denarius apud *Ursinum* est p. 281. in cujus Adversa Caput Victoriae alatum comparet, addita spica. *Aquila* princeps erat Signum Legionis cujuslibet, non statim quidem adlectum: cum initio Lupi, Apri, Tauri. aut Equi praeferrri solerent, quod apud *Plinium* legimus. Gloriosius autem Romae videbatur, Aquilae, ad altissima Coeli tendentis, quam cujuslibet animalis terrestris imagine, excellentiam suam in oculis orbis buccinare. Habebat ergo quavis Legio Aquilam suam, & unicam quidem, quantislibet millibus capitum ipsa censeretur. Ferunt eam auro, aut saltem argento fusam, cui aurum inductum, alis expansis, & fulmini insistentem. *Plinius* de Argento ait, ejusque colore lucidior: Et ideo militariibus Signis familiarior, quoniam is longius fulget. Ipsum porro metalli pretium, ac pondus, fecerunt, ut grandes Aquilae non essent: quod liquidum *Florus* reddidit, inquiring: *In clade Variana Signifer Aquilam intra balthei sui latebras gerens, in cruenta palude delituit.* Quam loco tam angusto contexerat, magna esse non potuit.

Histor.
Nat. per
Hardui.
num cu-
rata L.
X. c. 5.

Id. L.
XXXIII.
c. 17.

IX. Signa caetera *Cohortium* erant, ac *Manipulorum*. Et *Cohortes* quidem retinuerunt *Lupos*, *Taurosque* suos, donec ex aliarum Gentium imitatione *Dracones* assumti, sive grandes, ac textiles *Angues*

gues vivi coloris , caudisque prælongis : de quibus ita Sidonius :

— — — — — Iam textilis Anguis
 Discurrit per utramque aciem , cui guttur adactis
 Turgescit Zephyris , patulo mentitur hiatu
 Irarum pictura famem , pannoque furorem
 Aura facit

Paneg.
 Maj. Car.
 V. n. 409.

Sibilabant nempe , Draconum in morem , flante vento hæc Simulacra , & quoniam singulæ *Cobortes* etiam singulos habebant *Dracones* , copia eorum vehementi sonitu ad hostes percellendos valebat. *Manipulis* nomen erat a fasciculis Spicarum , sive plenz , sive jam excussæ illæ merum stramen erant : & qui , obtenuitatem , in Numis scæni sæpiuscule speciem præbent. De quibus *Naso* :

Pertica suspensos portabat longa *Manipulos* :
 Unde *Manipularis* nomina *Miles* habet.

Fastor.
 III. v.
 118.

Quoniam porro *Cobors* qualibet tribus *Manipulis* constitit : X. Signorum unum in hoc Numo refert in tabella literam H. designans *Hastatos* : alterum literam P. quæ *Principes* inuit. *Pilansorum* qui *Tirones* , necdum vere *Milites* erant , indicem in Numis literam occurrere , non memini. Cæterum *Scutula* , *Signis* affixa , icones erant , vel *Deorum* , vel *Imperatorum bellicorum* : donec , everfa Republica , *Augustorum* imagines præferri debuerint. Hinc , *Taciti* asserto , *Agmina Legionum stetero fulgentibus Aquilis* , *signisque* , & *Simulacris Deum in modum Templi*. Annal. XV. c. 29.

PUBLIUS. Enodas mysteria omnia : de *Cajo* quoque *Valerio Elacco* docere me aliquid placeat. *TULLIUS*. *Valeriam* Gentem e *Sabinis* , qui se Romanis conjunxerant , ortam volunt , *Patriciam* partim , partimque *Plebeiam* , complurium *Familiarum*. *Numi* vero non produnt , nisi *Acisculos* , *Flaccos* , *Messalas* , *Catullos*. Erat ex hac *Valer. Flaccus* ille , de quo *Valer. Maximus* , itemque *Livius* prædicant : Eum , *Vibii Accæi* , *Sociæ Cohortis Pelignæ Præfecti* , exemplo accensum , qui *Vexillum trans Pœnicum vallum* projecerat , XI. Valer. L. III. c. 2. Liv. L. XXV. c. 14.

rat, ut sibi, suisque necessitatem illud revindicandi imponeret, suis dixisse. „ Spectatores, ut video, alienæ virtutis huc venimus. Sed absit hoc dedecus a sanguine nostro, ut Romani gloria cedere Latinis velimus. Ego certe aut speciosam optavi mortem, aut felicem audaciæ exitum. Vel solus igitur præcurrere paratus sum. „ Non tulit hoc calcar *Pædanius* Centurio, quin, Signo evulso, & ipse in castra Pænorum irruperit, totamque secum traxerit Legionem, victoria relata. *Livius* hoc adversus *Hannone* Ducem Hannibalis, contra *Maximus* adversus ipsum *Hannibalem*, dum Capuam obsedisset, perpetratum asseruit. Gloriosum igitur hoc factum Avi cujusdam sui *C. Valer. Flaccus* argento, & Signorum imagine celebravit æviternæ memoriæ causa. Imperator autem, teste *Cicerone*, etiam ipse fuit. *PUBLIUS*. Nolim bene merita laudi quidquam detrachere. Audet autem sæpenumero etiam supra vires, quem Gloria urit, quodque temeritas fuit, fortitudo prædicatur, cum eventus animo responderit. *TULLIUS*. Sine, ut altero Dialogo tandem a litore recedamus.

Orat. pro
Publ.
Quinct.

DIALOGUS IV.

De variis Cohortium, ac Legionum
Cognominibus, atque Signorum Ornamentis.

PUBLIUS.

I.
Tab. I. n.
3. & 4.

Tertius, quartusque Tabulæ tuæ Imæ. Numus, tam Nominum, quam Ornamentorum varietate ab anterioribus discernuntur. Prior namque horum pariter quidem Aquilam in medio habet, Signa vero dextræ, lævæque, unico scutulo, apex autem utriusque Serto laureo exornatur. Epigraphæ habet: **COHORTIUM PRAETORIARUM**. Alter, absque Aquila, tria exhibet Signa, quæ supra & infra Scutulum iconi-

iconicum laureata, Rostra navium infimo loco habent affixa, cum lemmate: COHORS SPECULATORUM. Nova hic quasi singula, novum tibi rursus differendi, mihi discendi argumentum suppeditant. TULLIUS. Differam tui gratia: sed prolixus haud ero.

Supremi Exercituum Duces initio *Pratores* appellabantur, quod *praessent*. Hi porro tota ex Cohorte, aut Legionem, fortissimum quemque deligentes, duplo stipendio conduxerunt, ut aliis omnibus militum laboribus exemptus, a *Pratore* nunquam discederet, corporis ejus custodiae uni solique perpetuo intentus. Custodum hujusmodi numerus primum unam, deinde plures Cohortes, tandem integram Legionem confecit. Permansit *Pratoria Cohortis*, vel *Cohortium Pratoriarum* nomen, licet Supremi Duces non jam amplius *Pratores* sed *Imperatores* dicerentur, vel ipsorum postea Augustorum praesidium corporis domi, aut in Castris intelligeretur. Et quoniam *Pratoriani* saepe Legio integra erant, uti de Caesare, Legionem Decimam in Cohortem Pratoriam sibi assumente, Dio Cassius aperte testatur, propriam Aquilam habebant.

De *Speculatoribus* aliter censeas. Creber erat illorum usus, & par ferè cum Exploratoribus munus, nimirum, intendere in ea, quae fiebant, aut futura erant. Haec omnia illos, velut in specula positos, observare oportuit. Lecti sunt non e civibus tantum, aut Legionariis militibus, verum etiam e Sociorum, & Auxiliarium agminibus: quoniam eos non tam fortes, quam vigiles, & sagaces esse oportuit. Principio viles existimabantur: crescentibus autem periculis amplius nomen consecuti sunt. Nitebatur quippe fideli eorundem officio salus Imperatoris, & Exercitus: ut, quidquid molirentur hostes, ipsi praenunciarent. Quare *Pratorianis* adjuncti, aequè cum his in assidua custodia vigilabant, maxime sub Caesaribus. Ipsum Othonem (juxta Taciti effatum) *Comitabantur Speculatorum lecta corpora, cum caeteris Cohortibus Pratoriiis*. Plura de his pro more suo eruditissime conglobavit Ill. Spanheimius. Siquidem vero *Speculatores* neque omnes ex Legionariis erant, neque ad numerum Legionis excreverunt, Aquila carent in Numo: tribus vero cum Signis tanquam Cohors exhibentur, tribus Manipulis constituta.

Annal.
XI. cap.
11.

Tom. II.
p. 233.
199.

PUBLIUS. Teneo Nominum, & Signorum rationem, necdum

dum tamen Ornamentorum. *TULLIUS.* Lauri quid innuant, ignorare num potes? Victoriā certe: qualem si sapius retulerit Legio, vel Cohors, pluries eapropter Signa sua coronavit. Proræ navium operæ maritimæ præstitæ, vel ibidem quoque obtentæ Victoriæ tessera sunt. Rostra tu proras has dixeras, cum tamen in Numo rostratæ non sint, i. e. absque trabe præfixa, quam ære, aut ferro muniri solitum erat, ut ante proram porrecta, uno, vel gemino, aut etiam tertio cuspide, naves hostium findere posset. Tales non fuisse *Speculatorum* naves, ex *Livio* discere licet, dum infit: „*Livius* una & octoginta *Rostratis* navibus, multis „ præterea minoribus, quæ aut aperte *Rostratæ*, aut, *sine Rostris*, „ *Speculatoriæ* erant, Delum trajecit. „

L. XXX-
VI. c. 42.

V.

Nosse interim debes, ambos hos Numos in Adversa Navim exhibere armatam, cum Legenda: *ANT. onius AUG. ur III VIR R. ei P. ublicæ C. onstituendæ.* Cujus in Adversa moduli alios adhuc viginti septem Denarios exhibet *Ursinus* p. 29. sqq. in quorum Adversa ubique Aquila comparet inter Signa duo, sine lauro, & prora, descriptis vero per ordinem Legionibus II, III. &c. usquedum ad XXIII. adjectis aliquando cognominibus, *Antiquæ*, *Classicæ*, *Lybicæ.* *PUBLIUS.* Mihi pariter ex his tres Denarii sunt, duo tamen eorum subarati: in quibus Legionem III. IIII. & VII. lego, nisi me vestigia fallant. *TULLIUS.* Numerus docet, quarum harum Legionum antiquiores, aut juniores existerent: id, quod e Cognomine *Antiquæ* luculentius patet. Præconium *Classicæ* indicat Legionem, ex condito pro mari constitutam. *Lybicæ* nomen denotat Regionem, in qua hæc Legio cum primis militaverat. Sic *Dio* pariter *Cyrenaicam*, *Scythicam*, & *Macedonicam*, alii quoque alias commemorarunt. Nos ultra provehamur.

VI.

Tab. I.
n. 5.

PUBLIUS. Quintus Tabulæ Imæ Numus Aquilam denuo mediam habet inter duo Signa, quorum apicem, supra lignum transversum, ornat Manus explicata, fidei, ut puto, servatæ, servandæque tessera, juxta ea, quæ docueras me, cum primis de Dexteris commissis, *Part. II. Dial. X. n. 8. f.* Epigrammæ sic lego: *LICINIANO ET GERMANO II. VIR. is.* Literas vero *C. C. A.* inter Signa descriptas, abs te discere aveo. *TULLIUS.* Ita lege: *C. olonia C. asaræ A. ugusta.* Vocatur hæc Urbs hodie *Saragossa*, ad Ebro fluvium sita, estque Aragoniæ Metropolis, olim, juxta *Plinium*, dicta *Salduba.* Illuc *Augustus* Coloniam deduxit,

L. III.
c. 4.

raro-

raroque privilegio immunem quoque oneribus esse iussit. Hic porro Nummus non de communium, sed maximorum est numero, scilicet Medallionum quem Cl. *Patinus* extra ordinem pinxit, cum Capite ac titulis *Caligula* in Adversa. Signa hos Colonos ex Emeritis Legionariis fuisse demonstrant. Hos enim fideliter confectorum Stipendiorum præmium erat, ut veterani, iuste missi, in aliqua Urbium subactarum agros acciperent, & Coloni fierent.

BUBLIUS. Sextum Numum e meis tibi deligere placuit: cuius Adversa *Maximini* Thracis caput ære parva reddit, cum elogiis *Pii*, & *Germanici*. Adversa rursus tria exhibet Signa, sine tamen Aquila. Medium quippe in apice, supra Scutulum, Taro notatur: cætara duo Sertis laureis inclita, in summo Manipulos exhibent frumenti, straminis, aut foeni. Circum adulatione maxima scribitur: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Post paulo enim hic Imperator ob nimiam crudelitatem hostis iudicatus, & apud Aquileiam interemtus est. **TULLIUS.** Locum huic Numo tuo dedi, ut, quæ de Cohortium, ac Manipulorum Signis antea te docui, firmioris memoriæ causa, oculis quoque haurires.

PUBLIUS. Proxime insequentes ad Numos undique Davus accedo. Bos in Septimo adstat, ante vexillum, in quo scribitur: LEG. III. GAL. Intra pedes Bovis, nescio, quid minutalæ rei excreseat.

TULLIUS. Numum hunc Tyrus, Phœnicia Metropolis, *Caius Vibio Treboniano Gallo* Augusto signavit: unde circum legis: TYRO METRO. polis. Excepi eundem e Cl. *Patino*. Bos Coloniam indicat: vexillum, Signi Militaris novum genus, denotat Legionem vel Emeritam, quæ illic quietem accepit, vel Præsidii loco imposita erat. Dicitur *Gallica III.* quod ex Gallia illuc traducta fuerit. Infra pedes Bovis conchyle purpureum cernis, ut in omnibus Tyriorum Numis comparet Purpura namque Tyria, omnium pretiosissima, princeps Regibus indumentum dedit. Nemo gloriosius de Tyro, quam olim Civis ejus æque gloriosus *Ulpianus* peroravit. „ Sciendum est (inquit) „ esse quasdam Colonias Juris Italici, ut est in Syria Phœnice „ splendidissima Tyriorum Urbs, unde mihi origo est, nobilis „ regionibus, ferè Seculorum antiquissima, armipotens, fœde-

Imp. p.
72.

VII,
Tab. I. n.
6.

VIII.
Tab. I. n.
7.

Imp. p.
316.

Digest.
de Cen-
sib. L. I.
tit. 15.

„ risque , quod cum Romanis percussitenacissima. Huic enim
 „ Divus Severus , & Imperator noster (*Caracalla scilicet* :) ob e-
 „ gregiam in Rempublicam, Imperiumque Romanum insignem fi-
 „ dem Italicum jus dedit. „ Metropolis Phoeniciæ præeminen-
 „ tiam supra *Sidonem* ab *Hadriano* Augusto impetraverat eidem alius
 L. IV. c. 2. Civis præclarus *Paulus* Rhetor Tyrius. „ Coloniae ejus penè to-
 „ to orbe diffusæ sunt (scribebat *Curtius*) scil. Carthago in
 De Pall. c. 1. „ Affrica, in Bœotia Thebe, Gades ad Oceanum. „ Quibus
 Tom. II. p. 609. Metropoli ornanda prolixus esse voluit Ill. *Spanhemius*, si eundem
 inspicere tibi licuerit.

IX. PULLIUS. De Vexillo autem, cujus nihil hæcenus monui-
 sti, quid sentire me cupis ?

TULLIUS. Equitibus cumprimis, tum vero & Peditibus,
Emeritis maxime, erant *Vexilla*, panni scilicet, sive. „ *Vela* (quod
 „ a *Cedreno* edocemur) purpura, & auro, quadrata forma fa-
 „ cta. Hæc longis hastis suspendentes circum Principem ge-
 L. II. c. 1. stant, & eum protegunt. „ *Vegetio* tradente, Equitum turmi,
Alarum nomen erat, quod protegant acies: quæ nunc *Vexillatio-
 nes* vocantur, quia *Velis*, h. e. *flammulis* utuntur, *flamma* colorem
 formamque acutam habentibus. Discernenda sunt autem *Vexilla*
Cantabrum, & *Labarum*: quæ, licet omnia nil aliud, quam *Vela*
 essent, ex hastis pendula, in aliquo tamen dissimilia erant, jux-
 ta *Minutium Felicem*. Hoc siquidem teste, *Vexilla* fuere vela par-
 va, suo quæque colore solo Militibus nota. *Cantabra* porro erant
Vexilla, inscripto aliquo Nomine, vel carmine docentia, & quasi
cantantia. Quod quam recte dictum sit, in medio relinquo, cum
 dudum adverterit *Samuel Pitiscus*, Interpretes circa *Vexilla* sensis-
 se varie, & forte parum recte. Constat vero veterum auctori-
 tate, Magna pariter, ac parva fuisse *Vexilla*: & Magnis cum-
 primis, ut apud *Dionem* legitur, nunc Imperatoris, nunc ipsius
 Exercitus Nomina, literis puniceis inscripta fuisse. De *Labaro*
 inferius paulo amplius dicam.

X. PUBLIUS. Octavum Numum Hypocentaurus incitato cur-
 Tab. I. n. su equino properans, clavamque deferens, non minus ænigma-
 8. ticum reddit, quam epigraphe: LEG. II. PART. VII. P. VII.
 F. Aqua mihi ad hæc undique hæret. TULLIUS. Aureus iste
 parvus *Gallieni* est, cujus caput radiatum; ac nomen refert in

Aversa

Lexic.
 Antiquit.
 voce Ve-
 xillum.
 L. XL.

Aversa. A me porro ex elegantissimo Opere *Gothæ Numar.* p. 343. ideo selectus est, ut Legionum Cognomina tanto plenius discas. Describitur hic *Legio. II. Parthica*, i. e. adversus Parthos directa. Fert porro Elogia haud vulgaria *Septimum Pia, Septimum Fidelis*: hoc enim sibi vult VII. P. VII. F. Legiones quippe ab Ordine, quo legebantur, *Primæ, Secundæ*: a Loco, ubi demorabantur diutius, *Germanicæ, Britannicæ, Gallicæ*: ab Imperatore, qui eas delegerat primum, vel duxerat, sive peculiariter dilexerat, *Trajanae, Augustæ, Geminae, Flaviae* Cognomina ferebant. Sic & ab eventibus extra ordinem venere præconia *Fulminatricis, Adjutricis, Martiæ, Ferreæ*. Demum & a singulari merito singularibus quoque Elogiis affectæ, ut sunt *Pia, Fidelis*, iisdem semper gloriabantur. Donatæ sunt hac gratia vel ab Imperatore suo bellico, cujus auspicio militaverant, vel a Senatu, vel ab Augustis, ut, æmulatione laudis, tam ipsæ semper fortius, atque fidelius agerent, quam aliæ consimile ad studium accenderentur. Egregie huc facit locus *Dionis de Claudio* Imperatore, Militum fidem remuneraturo, quod *Furio Camillo Scriboniano* Dalmatiæ Legato, Imperium affectanti non obaudierint. Ait namque: „ Tum, „ animo recepto, Militibus, cum aliis rebus gratiam retulit, tum „ quod effecit, ut Urbanae Legiones, *Septima, & Undecima*, non „ tantum *Claudia*, verum etiam *Fideles, & Pia*, idque a Senatu „ appellarentur. „ Quemadmodum porro Imperatoris Acclamatio, quoties egregie vicisse datum est, instaurata fuit, ut inde Numi perpetuo clament: *Jmp. iterum, tertium. IV. Vtum. Sc.* Sic pariter eadem *Legio III. IV. V. Victrix, Pia, Fidelis*, pulcherrimo virtutis, Fideique stimulo prædicabatur.

Lib. XI.

Hypocentaurns, fictum penitus Monstrum, dudumque, teste ^{XI} Ill. *Spanhemio*, cum cæteris chymeris apud prudentes damnatus, ^{T. I. p. 278.} pluribus Diis devotus fuit, ac sacer. Inde *Manilius* de Centauro, qui parte anteriore, & superiore vir, cætera equus esse somniabatur, ita cecinit.

Mixtus equo volucrem missurus jamque sagittam.
Et Phoebosacer ades, & una gratus Jacho.

Nunc portentum istud, sub *Sagittarii*, vel *Arcitenentis* nomine

mine, duodecim inter Signa Zodiaci oberrat. Fabula namque ortum habuit ex venatione fylvestrium *sauroorum*, quos viri nonnulli audaces celeribus equis infecuti, sagittis ex arte directis magno numero confecerunt. Unde & nomen *Centauroorum*: a quibus genitos *Hypocentauros*, Poëtis mentiri facili fuit. PUBLIUS. Et mihi parvus est Numus *Galliemi* cum centauro arcum tendente, & epigraphæ: *Apollini Conservatori Augusti*. Sed in hoc Numo tuo is clavam gerit. TULLIUS. Semper pugnax apparet, quocunque armorum genere minetur. Hinc creditur, *Gallienum*, dum in Parthos, sagittandi arte in paucis ferocissimos, Legionem dirigeret, toties hastenus *Piam*, toties *Fidelem*, commendasse eandem tutelæ, & auspicio Apollinis, quem sub imagine Centauri, huic Deo sacri, exprimere voluit. Sed mittamus hæc frivola, sequenti Numo sanctiora expensuri.

XII. PUBLIUS. Nonus hic ordine apud me parvus existit, fulgore tam livido, ut argenteum simulans, ferreus potius videatur, Tab. I. n. 9. *Adversa*, circa caput nudum grandiusculum sic prædicat: *D.ominus N.oster DECENTIUS FORT.issimus CAES. ar*: nempe *Magnentii* Frater. *Adversa*, quam pinxisti Monogramma Christi habet, omnem Numi aream complens, ex χ . i. e. *Chi*, & ρ . i. e. *Ro*, Græco compositum, & initiales has litteras *CHR.istus* referens. Pone apparent α . n. i. e. *Alpha*, & ω . *Omega*, notæ Principii, & Finis. Circum legitur: *SAL. us DD. ominorum NN. ostrorum AVGG. istorum ET CAESS. arum*, TULLIUS. Hic Numus tuus, cui par prope etiam cum capite *Magnentii* prodiit, alios inter Signiferos Numos locum hic suum recte tuetur, quamvis Vexillum hastatum non redhibeat, quale posterioribus in Tabulis frequentius occuret. Luculentiori enim imagine demonstrat Monogramma illud Sacro Sanctum, quod *Labara*, posthac spectanda, gracillima duntaxat figura repræsentant. Ne dicam, Divinum hunc Characterem, ex quo Religio *Constantini M.* semel cepit, non in *Labaris* tantum fulsisse, sed nutu ejus, & exemplo, etiam *Scutis* illatum fuisse: per quem & *Crux* pariter, & *Christi* Nomen, una fidelia pinguntur.

XIII. PUBLIUS. Quo autem impulsu *Maximus* ille *Augustus* in hanc formam, ejusque Religionem devenit? TULLIUS. Brevis omnium *Zonaras* in *Vita Constantini*, græco quidem sermone, sic

sic docuit, ubi de aggressione *Maxentii* tyranni, per eum facta,
 verbum facit. „ *Ambigenti*, & animo anxio ob ista, figura
 „ *Crucis* media die, *Stellis* effecta, apparuit in Cœlo, cum Scrip-
 „ tura circa eam Romanis literis: IN HOC VINCE. Igitur ex
 „ auro statim, subitario opere, efformans *Crucem*, cum *Maxen-*
 „ *tianis* prelium commisit, & superavit. „ Contra vero *Euse-*
 „ *biius* Cæsariensis, tanquam de visu testis, *Constantium*, peracta
 demum *Victoria*, exhibitum antea sibi *Signum*, non jam subit-
 „ tario, sed meditato penitus opere, fieri curasse, ita prolixius
 enarrat. „ Simul atque dies illuxit, surgens, primum *Arca-*
 „ num illud visum *Amicis* exponit: deinde *Artificibus*, qui
 „ *Aurum* & *Lapides* pretiosos affabre scalpere norant, auditis,
 „ medio inter illos loco affidet, verbis *Signi* describit effigiem, eam
 „ auro, & lapidibus, imitatione adumbrari mandat. Quam
 „ quidem *Effigiem* contigit, ut nos olim oculis contempleremur;
 „ ipse enim *Imperator* Deo illud largiente, eam nobis ostende-
 „ re dignatus est. Erat autem tali figura fabricata. *Hastile*
 „ oblongum, erectumque, auro undique obductum fuit, quod
 „ cornu habuit transversum, ad formam *Crucis* constructum.
 „ *Supra* in fastigio ejus operis *Corona* affixa, lapidibus pretiosis,
 „ & auro polito circumtecta. In ea salutaris *Appellationis* *Sal-*
 „ *vatoris* *Nota* inscripta, duobus solum expressa elementis: Id
 „ est, e duabas primis litteris *Nominis* *CHRISTI* erat *P.* in me-
 „ dio literæ *X.* curiose, & subtiliter inserta, quæ totum *Christi*
 „ *Nomen* perspicue significarent. Quas quidem *Literas* deinceps
 „ semper *Imperator* in *Galea* gestare consuevit. „ Ad *Vexillum*
 „ postea digrediens, illud *hastili* longo affixum, & auream in eo
 „ *Imperatoris*, ac *Liberorum* ejus effigiem, ad pectus usque con-
 „ cinne descriptam fuisse testatur, iterum subdens: „ Isto igitur
 „ salutari *Signo* *Imperator*, tanquam hostilis cujusque, & in
 „ festæ violentiæ propugnaculo, semper usus est: cujus expres-
 „ sæ similitudines mandavit, ut universum exercitum perpetuo
 „ antecederent. „ Inde cecinit *Prudentius*, *Poetarum* *Christia-*
 „ *norum* primus :

L. I. con-
tra Sym-
mach.

CHRISTUS purpureum, gemmato textus in auro,
 Signabat *Labarum*: Clypeorum insignia CHRISTUS
 Spripserat: ardebat summis CRUX addita cristis.

Dignus

Dignus est hoc in argumento præ omnibus legi Eruditiss. P. *Jacob. Gretserus* e Soc. J. Operum Tom. I. qui totus est de S. Cruce, cumprimis Libr. II. Cap. XXXVII. sqq.

- XIV. Liberavi porro hoc pacto nunc etiam de *Labaro*, quam supra tibi dederam, fidem, simulque tecum de Signis, & Ordinibus inferioribus Militum differere cesso. Expediebat, hoc te Prælu-
dio generaliter instruere, ut in omnibus, quæ sequentur, tibi plenior cognitio foret. *PUBLIUS*. Honorande Tulli: Magistri est, non discipuli, discendi modum, ac ordinem decernere. Jucundissimum fuit mihi, te hætenus tam varia, tamque multa, novem duntaxat Numerorum occasione, paucis numeris collecta, mihi exposuisse. Quantam, quamque eruditam docendi segetem tot Numi residui tibi aperient? Si sic pergas benevolentia tua, non fallar spe mea, in universæ quodammodo Bellicæ Gloriæ Romanæ, & Augustæ adyta interiora, faciliter æque, ac feliciter penetrandi,

DIALOGUS V.

De Ducibus Romanis, Militumque
Præfectis.

TULLIUS.

- I. **M**ilitarium omnium Præfectorum summus, atque princeps, fuit *Imperator*. Memineris vero, studiosissime Publi, ex Partis I. Dial. II. n. III. hujus vocis notionem variam fuisse. Libera quippe, & adolescente Republica, omnis ille domi, forisque, imperare dicebatur, qui ex munere suo vitæ, necisque jus in alios habuerat. Deinde hoc elogium ad Castra, & aciem traductum est, partaque justa Victoria, semel, iterum, tertium, ac sæpius, illi a Militibus acclamatum est Nomen *Imperatoris*, qui tunc agmen, aut exercitum duxit: sive Consulis esset, sive Prætor, Dictator, Legatus, aut inferior aliquis Præfectus.

fectus. Neque intererat, an quis a Republica cum imperio missus esset, an se ipsum sponte Ducem, rebus artibus, obtulisset.

Probe autem ut notes, velim, neminem facile a Senatu *cum imperio* missum esse, nisi tantus esset, cui, virtute poscente, Patres etiam Fortunam, & Auspicia Reipublicæ credere possent, cum ipsa in bellum procedere nequiret. Existimabat enim hæc, propriam se Fortunam habere, ab omnium privatorum fortuna discretam. Et cum apud hanc superstitionissimam gentem nihil sanctius fuerit, quam inconsultis Diis, neglectisque auspiciis, pro Republica nihil penitus audere: omnibus quidem Ducibus licuit, fortunam suam, an incolames, an Victores ex prelio exituri sint, an triumphum promerituri? per auspicia tentare. Sed, an bellum, an prelium, an obsidio, an foedus, an pax præsens e salute Reipublicæ futura sit, per Sacerdotes Castrorum publico nomine sciscitandi, nulla facultas fuit. De hujusmodi Deos Romæ consulere, & ibi decerni oportuit. Quoniam vero per hanc moram sæpenumero maxima vincendi opportunità elapsa fuit: magni, & acrioris animi Viri, nolebant exercitum ducere, nisi sibi auspiciorum, in Castris pro Republica capiendorum, plena potestas indulgeretur. Et hoc erat, aliquem *cum imperio* mitti, ipsoque decreto Senatus, jam in accessu Castrorum, fuisse *Imperatorem*. Acclamatio Militum, licet eodem hoc nomine uterentur, nihil aliud præconii contulit in Ducem, nisi quod semel, iterum, tertium *Victor* laudaretur.

Convulsa demum per Cæsares Libertate Senatus, ac Populi, notio *Imperatoris*, ab illis assumpta, redibat ad primam originem, & innuebat supremum jus vitæ, ac necis, in omnes, quod sibi soli Augusti attraxerant. Tum, qui Exercitibus præerant, solo Ducum nomine contenti esse debebant. Asserta hæc vis testimonio Scriptorum? Consule *Acerram Nov. Philolog.* Part. I. p. 443. sqq. Nunc decimum Numum Tabulæ I. intueri, atque recense.

PUBLIUS. Meis hic e Denariis Consularibus argenteis est, probe satis conservatus. Adversa redhibet Belliducem, dextro pede poræ navis imposito, cui scæmina, ex adverso stans, palmam prorrigit, ipsa tergo suo scutum gestans, cum telis. Retro ipsum fixa est Aquila Legionaris, laureo Serto exornata. Circum lego: *CN. eus MAGN. us IMP. erator.* *TULLIUS*. Omnia rite.

PUBLIUS. Averfa caput habet Romæ galeatum, ante quod lau-

reum denio Sertum. Epigraphæ: *M. arcus PUBLICI. us LEG. atus PRO PR. etore.* An & hoc bene, de quo metuo? *TULLIUS.* Omnino. Semel, ac iterum, hic Denarius tuus occurrit apud *Ursinum*, primum in Gente *Publicia*, five *Publicia Plebeja* p. 215. deinde in *Pompeja* p. 217. Tertium adhæc pingitur apud *Ill. Spanhemium* II. p. 179. semper porro sibi similes apud hos, dissimilis vero tuo. Deest enim ubique in Antica post Imperatorem *Aquila Legionaris*, in *Postica Laurus*, estque alius utriusque perigraphes ordo, ac situs. Cæterum res eadem undique enunciantur, modulo solum diverso.

V. Mulier illa, quæ Imperatoris dextræ palmam inserit, cum clypeo, telisque suis Hispaniam denotat, hoc typo pluribus in Numis exhibitam. Erat porro *Cn. Pompejus* tam Imperator, quam Triumphator Magnus: a *Sulla* primum, demum ab ipso Senatu Magni elogio honoratus. Hoc tamen decus non in Hispania, sed Sicilia, & Palestina collegit. Quamvis & in Hispaniam contra *Sertorium*, in subsidium *Metelli* submissus fuerit: quin forti pugnx Victoria æqua responderit. Cum autem ibi *Marc. Publicius* fuerit Legatus ejus pro Prætoris: volebat hoc munere suo in hoc argento clarescere, & ideo, loco Victoriæ, quæ alibi toties *Pompejo* palmam obtulerat, Hispaniam substituere maluit.

VI. *PUBLIUS.* Tangis, quod cum primis mihi sciscitandum, nempe Legatus pro Prætoris quis fuerit? *TULLIUS.* Recte postulas. Cum enim Imperatorem jam supra Numo II. legeris *C. Val. Flaccum*, hic tamen, ut omnium Ducum exemplum, & ordinem teneas, *Cn. Pompejum* rursus Imperatorem tibi exhibui: cum quo autem simul *Publicium* Legatum pro Prætoris videres. Legatum dixerunt, qui alteri, ad supplendas ejusdem vices, cum absens foret, five decumberet, aut munus grave nimis quereretur, vel, dicam libere, laborem nimium refugeret, adungebatur. Qui proinde Consulem supplebat, dicebatur *Legatus pro Consule*: qui Prætoris, *Legatus pro Prætoris*: qui, eversa Republica, pro Cæsare administrabat, erat *Legatus Augusti*. Ad Castra mittebantur *Legati Legionis*: qui præerant *Tribunis*: ad latus Imperatoris hærebant: & ab hoc cum parte exercitus missi, vel illo absente, aut infirmo, cum universo exercitu bella gerebant. Sic tamen præmium publicum Ovationis, vel Triumphis, sibi promereri neutiquam poterant, quantacunque cum Gloria vincerent; ob alienum auspiciis, videlicet Imperatoris.

Quam-

Quamvis porro Legati magnis Magistratibus dari solatio viderentur, simul tamen ad eos observandos per sæpe adjuncti sunt: quandoque ad emendanda etiam, quæ illi corruperant: demum ad novas quoque Provincias, itemque Colonias ordinandas. Quocirca non facile alii Legati nominabantur, ac tales, qui pari munere, in quo alium juvare debuerant, jam antea defuncti fuere. Nihilominus autem frequentius Consulibus, Prætoribus, Imperatoribus libera fuit Legatorum suorum electio: gratiæ vero id erat. Ad undecimum Numum pergamus.

PUBLIUS. Jul. Cæsarem sagatum, ac laureatum hic in suggestu stantem, videre mihi videor, ad Aquilam Legionarem conversum, dextra perorantis in modum extenta: retro ipsum Fasces erecti securi sua minantur. Infra lego: **DICT. ator III. tium**: quod ad Cæsarem atinet. Hinc & inde columnatim scribitur: **L. ucivs AEMIL. ius BVCA.** Triumvirum hunc fuisse Monetalem, ex anterioribus nosco, *Dial.* nempe XV. Exercitat. Proæm. n. 1. Dictatoris quoque grande munus ibidem a te didici *Dial.* XIII. n. 1-4. **TULLIUS.** Probe recordaris, recteque in hoc Numo vidisti. Vulgavit illum *Hubert. Golzius* Belga in Jul. Cæs. Tab. XI. n. 8. Selegi porro eundem, ut, quando in Ducibus Militum sumus, *Dictator* non deesset, cum primis *operis faciendi*, ut aiebant, i. e. Imperii Summi Castrensium gerendi ergo creatus. Brevi sex mensium potestate is cogebatur, moras omnes, quas indeclinabilis necessitas non objiceret, rumpere, ac celeriter bellum conficere, non parvo sumtuum Reipublicæ, aliarumque curarum compendio: ubi ceteri Imperatores, ob rerum suarum studium, sæpiuscule longis moris expeditionem protraherent. In hoc Numo Cæsar, ad Aquilam conversus, quæ loco Militum adstat, hos quasi alloquens redhibetur. Fasces post eum Dictatoriæ Supremæ Potestatis Insigne sunt.

PUBLIUS. Quosnam vero e Ducum ordine, cum omnes eorum Classes pertransire statuas mecum, Numi XIIimus, ac XIIItus reddunt? **TULLIUS.** Postquam recensueris eos, quid sibi velint, intelliges. **PUBLIUS.** Duos in priori Equites video, secum pugnantes: qui fugienti similis est, ensen tamen librat, ab altero vero hasta perfoditur. Scuto Victoris inscripta litera M. Infra legitur: **C. ajus SERVEIL. ius**, V. & E. contractis. **TULLIUS.** Recte cuncta. Quartum hic Numus pingitur apud *Ursinum* p. 257.

VII.

VIII.
Tab. I.
n. 11.

IX.

Tab. I.
n. 12.

in Gente *Servilia*, ex Albanis Romam traducta, & in Patriciam adlecta, quamvis alia Linea Plebeia erat. In Adversa caput est Romæ galeatum, addito Lituo, ac nota Denarii. Hujus Gen-
tis erat *Quint. Servilius Abala*. Anno V. Cond. CCCXIV. sub Luc. *Quinct. Cincinnato* Dictatore Magister Equitum: cæde cumprimis *Spurii Melii* equitis, tyrannidem affectantis, memoriam adeptus. *Cajus Servilius* erat *Marci* filius, pariter Magistri Equitum An. V. C. DL. *Publio Sulpitio* tum Dictatore. Priorem horum *Abalam*, ut *Melium* conficit, a *Cajo* in hoc argento signatum *Ursinus* con-
jecit, *Cl. Patino* nihil obloquente.

X. Contra vero Ill. *Spanhemius* II. p 227. penitus dissentit, nixus historiæ contextu, quo eadem a *Livio*, atque *Plutarcho* per-
censita est. Horum relatu *Servilius Abala* nequaquam aperto Mar-
te, ac certamine, ut Numus exhibet, sed astu, ac simulatione. *Melium* in foro pugione obruncavit. Quapropter, teste *Val. Ma-
ximo*, exulare compulsus est, quod Civem Romanum, & Equi-
tem, non convictum, vel damnatum, audacia subita e medio su-
stulerit. Aliud ergo factum generosum *Marci Servilii* potius, ju-
nioris Magistri Equitum, hic expressum, *Spanhemius* existimat. Verumtamen *Ursinus*, antelata narrationis neutiquam ignarus, ejusque Authores ipse laudans, nihilominus in sententia persti-
tit. Persuasit enim sibi, *Cajum Servilium*, & *Marcum* fratrem fa-
ctum potius ipsum, pro sui generis gloria, quam ejus modum exprimi curasse. Equitem igitur utrumque signari voluisse, ut constaret, *Abalam* fuisse Magistrum Equitum, ac *Melium* Eque-
stris Ordinis: Illum deinde vindicasse Libertatem Reipublica, occidendo tyrannum, sibi que paris animi exemplum præbuisse. Nam & ipsi Conjuratorum & Occisorum *Cæsaris Julii* non pot-
estremi fuere.

XI. Ut se habeat res ista: vides hic Magistrum Equitum, quod *Ursinus*, *Patinus*, atque *Spanhemius* fatentur, & qualem ego hoc loco exhibere tibi volui. *PUBLIUS*. Nempe, qui, Dictatore exercitibus imperante, duceret Equites. Ad constringendam quippe Dictatoris amplissimam alias potentiam, rerumque nova-
rum, atque tyrannidis affectandæ noxium in eo studium præver-
tendum, præter dimidii duntaxat anni brevem terminum, huic spartæ constitutum, insuper cautum erat, ne, hac durante, e-
quum ascenderet. Quo pacto Equestrem certe Ordinem in vota pel-

pellicere non potuit. Semper itaque, creato *Dictatore*, similiter *Magister Equitum* delectus fuit, Ita jam olim a te instituebar. **TULLIUS.** Belle dictorum reminisceris, quod cum fructu est discere. Inspeciamus Numum decimum tertium.

PUBLIUS. Equestris Ordinis Juvenis adstat in eo, cum XII. hasta, equum suum freno pone se retinens. Epigraphe: P. u. Tab. I. n. blius **CRASSUS** M. arci F. ilius, **TULLIUS.** Adversa hujus Numi 13. apud Ursinum in Gente *Licinia* p. 151. & apud Ill. Spanhemium II. pag 101. exhibet caput fœmineum Deæ cujusdam ignotæ. Stantem cum equo Juvenem, aut Virum, uterque interpretatur *Publ. Lucinium Crassum.* *Ursinus* attamen eum hic respicit ut *Præfectum Equitum*: quem *Cæsar* se ipso teste, „ Cum Cohortibus, „ Legionariis XII. & magno numero *Equitatus*, in Aquitaniam proficisci jussit, ne ex his Nationibus auxilia in Galliam mittantur, ac tantæ Nationes jungantur &c. „ E converso *Spanhemius* rursus an aliam opinionem dicebat, suspicatus videlicet: Vel *Crassum* hic fisci, ut aliquando Principem Juventutis, ducemque Ludi Trojani, de quo ego multa tibi *Part. II. Dial. VIII. n. 3. 4.* Vel potius respici ad Munus Censoris, quod cum *Luc. Jul. Cæsare* gessit. Ut adeo non ipse hic signetur, sed Eques alius ex *Transvectione* publica, quæ coram *Censore* fieri debuerat: hujus pariter a me notitiam cepisti *Part. I. Dial. V. n. 9. 10.* Per me valeat ex his quæcunque sententia. Sufficit mihi, memoriam *Præfecti Equitum* hic occurrisse: qui, uti *Tribuni Cohortibus Peditum*, sic ipse turmis *Equitum*, salva tamen Imperatoris auctoritate, cui suberat ipse, præfuerat. At vero *Dictatore* imperante, *Magister Equitum*, non *Præfectus*, equites duxit. Nos ad residuos Ducum ordines pergamus.

L. I. de
Bell. Gall.

PUBLIUS. Quartus decimus Numus nil nisi quatuor *Navigia*, remis profecta, & armatis oppleta, repræsentat. Infra lego: *Quintus NASIDIUS.* Docet hic res ipsa, *Præfectum Classis* commendari. **TULLIUS.** Gnaviter conjicis. Adversa *Denarii* hujus, ab *Ursino* in Gente *Numidia* exhibitæ p. 187. redhibet caput *Sexti Pompei*, additis *Delphino*, *tridente*, ac nomine **NEPTUNI.** Successibus quippe *maritimæ rei* elatus, eo *vesaniæ* devenerat, ut *Neptuni* se filium adoptatum crederet, atque jactaret, veste propterea *cyanea*, sive *cærulea* usus. Hunc, narrante *Velleio*, post *Amonii* a *Mutina* fugam ex *Hispaniis* revocatum, inque *Bo-*

XIII.
Tab. I. n.
14.

na paterna restitutum, Senatus Oræ maritimæ præfecit. Ipse vero *Quinctum Nasidium* sibi substituit: quem *Agrippa* vicit. In *Pompeium*, pariter debellatum, ita lusit *Horatius*:

Ut nuper actus cum freto *Neptunius*
Dux fugit, ustis navibus.

II. p. 176. & 183. sq. Observante porro Ill. *Spanhemio*, Præfecti Classium non e vulgariis, sed Munerum præstantium Viris, cum elogiis Proconsulis, Proprætoris, Duumvirorum navalium eligebantur: immo & Classi præfici idem erat, ac Provinciam consequi. Cum deinde Naves multæ alerentur, Præfectus earum haud unicus erat, sed plures, aliquo tamen eorum Supremo. Nihil igitur vile de *Nasidio* cogites.

XIV. Tab. I. n. 15. *PUBLIUS*. Prosequarne ordinem? *TULLIUS*. Age, perge, ut fini accedamus. *PUBLIUS*. Numus quintus decimus Equitem habet incitati cursus, duobus devictis intra equi pedes procumbentibus, abjectis clypeis, lanceisque contractis, quorum unum ipse hasta sua conficit. Epigraphe: *M. anius FONT. eius TR. ibunus MIL. itum*. Sic equidem putem. *TULLIUS*. Rectissime. Iterum ex *Ursino*, p. 114 Militarem hunc tibi Tribunum elegi. Adversa Numi habet caput Martis, aut Romæ, cum parvulo tropheo, atque lemmate: *P. ubl. FONTEIUS P. ublii F. ilius CAPITO III. VIR.* Habuit *Fonteia* Gens, quamvis Plebeia, permultos tamen, magnis Magistratibus insignes. Hos autem hic non moror, dum satis est mihi, *Manium*, qui deinceps in bello Italico etiam *Quin. Servilii Capionis* Legatus fuerat, hoc in denario tanquam *Tribunum Militum* laudari.

XV. Munus hoc in Castris non minimæ fuit existimationis, alioque nomine, a Græcis mutuato, *Tribuni* appellabantur *Cbiliarcha*. Quilibet eorum Cohortem ducebat, omnes autem Legato Legionis paruerunt. Et initio quidem sex, non plures, in qualibet Legione fuerant, ab Imperatore nominati, & *Rufuli* dicti: quod lege *Rutilii Rufi* hæc facultas Militibus firmata fuerit. Postea Romæ a Populo legebantur tum præcipue, cum, omissis consulibus, potestas Consularis longos per annos Tribunis militariibus, juxta Fastos Capitolinos, permissa fuit, observante Ill.

Span-

Spanhemio. Assumebantur vel Senatorum, vel Equitum filii: II. p. 174. primi ex ornatu vestis *Laticlavii*, seu latae fimbriae, posteriores *Angusticlavii* e converso appellati sunt. *Seniorum*, aut *Juniorum*, item *Primorum*, vel *Secundorum* Cognomina capiebant a tempore sui delectus, aut stipendiorum, quibus meruerant.

Legionibus, & Cohortibus, capitum numero tam vehementer adauctis, Tribunorum pariter numerus a Senario in Denarium, tandem plane in Denarium, ac senarium simul excrevit. Non erat unicuique certa Cohors, sed quaecunque illi committeretur, eam duxit. In praecipuis ejus fuerat, quotidie ab Imperatore Signum, seu tesseram verbalem petere: quam ipse deinde de militibus communicabat, excubias acturis, ut amicum ab hoste discernere nossent. Praeterea ignaviae, contumaciae, perfidiae reis, poenam ignominiae, doloris, aut mortis decernebat. *PUBLIUS*. Multa tu de *Tribunis*, nihil adhuc de imagine. *TULLIUS*. Celebre hic aliquod factum *Manii Fontei* Tribuni memoriae transcriptum esse, vix ambigas: quale autem, adhuc apud neminem deprehendi. Cum Numo itaque XVIto. Dialogum hunc de Ducibus Militum? concludamus: qui vero uberem nobis materiem praebebit.

PUBLIUS. Disciplinae militaris in eo specimen apparere, mecum arbitror, dum video Militem, qui flagro in alterum animadvertit: quamvis casus, vel cadendus, ad obsistendum compositus, ensen etiam fortiter vibret. Infra lego: *T. itus DEI-DI. us*; nihil vero Muneris militaris. *TULLIUS*. Adversa Numi hujus apud *Ursinum* in Gente *Didia* p. 98. nitet capite Romae. Celebris hic Antiquarius *Tit. Didium* Ann. V. C. DCLV. cum *Quint. Caecilio Metello* Consulem fuisse, ac primum, ut Propratorem, de Scordisceis in Thracia, iterum vero, ut Proconsulem, de Celtiberis in Hispania, elogio Imperatoris affectum, triumphasse: Demum *Luc. Caesaris* Consulis Legatum in bello Marfico existisse, uberius praedicat. Hoc porro in Denario aliquam ejus animadversionem in exercitum, male obtemperantem, redhiberi existimat, putatque, hic Militem a Centurione vite castigari.

Sed res haec, & castigato, III. *Spanhemio*, qui hunc Numum pariter pinxit II. p. 230. digna non videtur, quae in tanti Viri Consularis, ac Triumphalis, memoriam proferendam argento illi-

XVI.

XVII.
Tab. I. R.
16.

XVIII.

illineretur : licet *Ursino* etiam *Patinus*, atque *Vaillantius* consenserint. Magis ei *Steph. Pighii* arridet conjectura, Siculi potius belli, quo Servi fugitivi, sive Mancipia in Dominos insurrexerunt, cuique *T. Didius* An. V. C. DCXLIX. interfuerit, hic specimen exhiberi. Is quippe, qui resistit, seminudus, fustem potius, quam enssem, librare videbatur: quem & Miles, contemptus causa, æque non armis, sed flagris aggreditur. Verumtamen *Isaacus Verburgius*, Tomi II. Spanhemiani Posthumi Editor, Præfationis pag. V. credidit: Ill. hunc Virum, si posteriorum hunc Tomum integre relegere potuisset, hanc sententiam de hoc Numo certocertius mutaturum fuisse. Præterquam enim, quod Belli Siculi tempus *Didio* haud satis congruat: insuper, *Diodoro Siculo* authore, illud levi brachio, & flagris duntaxat, quasi nullo negotio, nequaquam confectum est: sed e converso Servi acerrime repugnarunt, & etiam victi, jamjamque deditioem facere coacti, adhuc tergiversati sunt. Potius igitur censendum existimat, quod *Adamo Ruperto* est visum: Nempe Thracem hic aliquem exhiberi, qui pro gladiatorio munere a Lanista exercendus, cum aberraverit, scutica plectatur. Non ignoravit hanc pariter opinionem *Spanhemius*: rursus vero lanistæ exercitium pro argumento posthumæ gloriæ, quæ Consuli redderetur, non habuit.

XIX.

Supereest adhuc *Thomæ Reinesii* cogitatio de hoc Numo, ab eodem Illustri Viro commemorata, ab ipso tamen pariter non probata. Respici videlicet in hoc Numo ad Victoriam *Didii* triumphalem de Scordiscis in Thracia, unumque horum barbarorum a Milite Romano, gladium, forte quacunquē ex causa confractum, ad manus non habente, hic scutica, vel quolibet obvio instrumento repulsum, aut confectum exhiberi. Vides, ut in re incerta, suum tamen ingenium Eruditi exerceant. Non postulabis a me, eos inter ut Arbiter sedeam. Quoniam vero Cll. Viri, *Ursinus*, *Patinus*, *Vaillantius*, hic Centurionem agnoverunt, qui militem culpa reum, vite, i. e. flagro e vitibus contorto, castiget: libuit mihi hunc Numum pingere, ut etiam *Centurionis* cognitionem inires. Forte *Titus Didius* hic laudatur, non a communi & quotidiana belli, Castrorumque disciplina, probe curata: sed multo magis a gravi quapiam seditione Militum feliciter oppressa, qua nihil in exercitu damnabilius, pleniusque præsentis periculo esse possit. Allicior in haec opinionem, quod mile

in

in hoc Numo castigatori suo fortissime obstitat : id, quod seditioso plane convenit, non item reo, privati delicti causa correpto. Per primum namque, ac præcipuum Disciplinæ militaris canonem is maxime delinquit, qui potestati plectentis, ipsique pœnæ resistit.

Centuriones porro in ordine Ducum inter pedites infimi fuere, qui Tribunorum jussa capiebant, quemadmodum *Decuriones* in Equitatu. Dum Cohors Peditum trecentis, Turma Equitum triginta Viris constabat : qui Centum gubernabat, *Centurio*, qui Decem, *Decurio* audiebat. Auctis Cohortibus, ac Turmis, Nomina tamen ista non immutabantur. Utrisque porro Tergiductores adhuc erant, cum quibus Centurio, Decuriove, labores partiebatur. *PUBLIUS*. Licetne mihi orare te, atque obtestari, ut pœnas ignominia, doloris, aut mortis, irrogatas militibus, & a te supra commemoratas, plenius mihi exponas? Faciam, sed compendio maximo, ex *Acerra Philologica* : ubi Part. I. p. 65. sqq. singula veterum testimoniis, quibus hic superfedeo, luculente constabilita reperies.

Præterquam igitur, quod Militi Romano longissima consuetudine, non tamen perpetua, cum *Augustus* eandem ob *Liviam* suam infregerit, carendum fuerit Uxore, ac Liberis, quibus Castra sequi vetitum erat : insuper non licuit, alio & molliore cibo, atque Castrensi, vesci, quamvis venatu, aut emtione, parari facile potuisset. Ad hæc nulli potestas facta, sive permissa est, etiam communia peculiariter agere : sed omnia communi hora, loco, modoque fieri oportuit. Unde facile colligas, quam pronum fuerit, varias in culpas, tot inter leges, tamque fixas firmasque, incidere. Delinquentibus porro pœnæ illico aderant.

Et *Ignominia* quidem animadversum est in Militem ignavum, timidum, negligentem, aut inobedientem. I. Si annus, vel semestre differretur, ut ne Stipendium procederet : i. e. tempus illud non computaretur, ac si Castris absens, interea pro Patria non militasset. II. Si are diruebatur, i. e. Stipendium non acciperet. III. Si ei pellibus, castrisque interdictum, ut nimirum sub dio habitare cogereetur. IV. Si stare totum diem ante Prætorium, pedibus nudis, ac veste discincta juberetur, aliis alte cinctis, tanquam ad iter, omnemque laborem expeditis : si præterea decempedas, hastas, palos, vel cespitem gestare deberet. V. Si sub iter ag-

XX.

XXI.

XXII.

mine exesse, interque impedimenta, sarcinas, atque captivos incedere compulsus fuerit. VI. Si *impolitia*, atque *infrequentia* notaretur, h. e. a contubernio militum removeretur, quod arma ejus non splenderent, forderent vestes, equus macer esset. VII. Si *mutare militiam* jussus, ex Legionario triarius, ex Equite pedes, ex Centurione gregarius fieret.

XXIII. *Acerbæ* pœnæ fuerunt. I. Vite cædi a Centurione. II. Virgis a Militibus. III. Si cæsus, deinceps velut servus venundaretur. IV. Si alicui, tanquam inutilem sanguinem emissuro, vena solveretur. V. Si per Licetorem amitteret manum præcisam, aliòve membro mutilaretur. VI. Si Missionem ignominiosam acciperet, & veste militari deposita, redditisque armis, exesse penitus ab exercitu juberetur.

XXIV. Capite tandem quis luit. I. Per fustuarium usque ad mortem. II. Si antea flagellatus, Caput insuper ense, vel securi amitteret: ad quæ plerumque consequeretur, ut sic occiso sepulchri quoque honor, atque luctus interdiceretur. III. Si ensibus commilitonum perfossus fuerit. IV. Si lapide ad collum appenso mergeretur. V. Si vivus combureretur. Atque horum omnium jus, & imperium apud Tribunos erat: sic tamen, ut Castra, ob signorum sanctimoniam, & reverentiam, sanguine nullius contaminarentur, sed supplicia capitis extra valla perpetuo fierent.

XXV. *PUBLIUS*. Durus Militiæ canon, ut olim, ita & nunc. Si ne quo tamen audaciam, ac insolentiam tot hominum, calore Martio in venis omnibus turgentium, continere, ac reprimere, faustumque belli eventum consequi, minime licet. Nemo Ducum, nisi milites dicto audientes habuerit, cum fiducia, & fructu victoriæ imperabit. Sed nec pugiles ipsi, si voluptatibus disfluant, & ignavia obsorduerint, ad perfringenda discrimina valent. Arduis assuescat, qui ardua facturum est. Unus adhæc cum multis esse debet, quisquis intelligit, quam Virtus unita, cujusmodi est exercitus, viribus quibuslibet singularibus fortior sit. Placeat jam, Honorande Tulli, pari, ut hætenus, benevolentia in argumento mihi jucundissimo pergere.

DIALOGUS VI.

De Jurejurando, & Fide, atque Concordia Militum.

TULLIUS.

Militem, qui sanguinem, & caput Patriæ consecrare debet, ante alios omnes, quidlibet spondentes, Jurejurando sanctissimo adstringi, summa rei gravitas postulat. Militarium porro Sacramentorum, semel, ac iterum, jussu, vel sponte editorum, formulas aliquas ex me jam quidem audisti *Dial. II. n. 7.* Nullum vero ejus rei in aliquo Nummo exemplum vidisti. Quod hic propono, valde quidem ambiguum est, & forte alterius rei longe verius monumentum. Quoniam tamen Militum jurantium aliquam saltem speciem præbet, nec certius aliud superest mihi: ejus Imaginem tibi dedi, curque dederim, statim percensebo. Inspice Tabulæ I. Numum septimum decimum.

PUBLIUS. Adstant in eo Milites duo cum clypeis, quorum II. uterque ensẽm brevem tenet erectum. Infra scribitur: *C. ajus SERVEIL. ius.* Hoc totum est, quod video. **TULLIUS.** Ex *Ur. n. 17.* *sino* hic Numus est in Gente *Servilia*, jam ante coram te laudata, p. 260. In Adversa caput *Flora* comparet, & post illud Lituus auguralis, cum epigraphe: **FLORAL. PRIMUS.** Quod communiter ab Antiquariis lectum est: *Floralia Primus fecit*, quod postremum subaudiendum esse rebantur. Sed *Cl. P. Harduinus*, in plurimis Numis exponendis plane, magnoque cum animo singularis, etiam hic, pro more suo, vocem *Primus* disjicit, & legit: *C. ajus SERVEIL. ius M. arci F. ilius* (has enim literas in ipsius Numi Aversa nomini adjectas ait) **FLORAL. ia PR. oprius IM. pensis V. eneri S. acravit.** Meum non arbitror, coram te de recta lectione contendere: vel etiam *Floralia* exequi: quo nomine Ludi veniebant, quos Romani postrema hebdomada Aprilis agebant,

Harduin.
in Plin.
Tom. II.
p. 139.
nota 9.

ut *flor* arborum, & aliorum, quæ succrescebant in hortis, rite fieri, a Dea *Flora* consequerentur. De militibus, in hoc Numo apparentibus, mihi, tibi que curandum est.

III. *Harduinus* quidem eosdem vocat *Gladiatores*, tanquam ad *Ludos* pertinerent. *Ursinus* autem in iisdem intuetur *Publium*, *Cajum* que, *Servilios* fratres, qui pugionibus erectis de *Jul. Caesaris* intereptione, quam unacum cæteris conjuratis ipsa in curia perfecerunt, hic palam gloriantur. Verumtamen ille, qui meum exemplar *Ursini Patiniani* antehac possederat, vir certe non ineruditus, ad marginem loci hujus complures ex *Livio*, *Dionysio Halicarnasæo*, *Alexandro Sardo*, *Tacito*, *Cælio Rhodigino*, allegationes pertenui caractere fecit, unde liqueret, militibus in more positum fuisse, eductis, arrectisque gladiis jurare. Sic *Dionysius* alicubi: *Hæc locutus, arrecto ense juravit patrium Sacramentum.* Innuir vir iste doctus his notis suis, visum sibi esse, vel militum aliorum jurantium, vel saltem *Serviliorum*, ut in *Cæsarem* cum aliis conjurantium, imaginem hic exhiberi, non vero ut *Occisorum* ejus. Cui opinioni suffragari possint clypei, quos gerunt: hos enim in *Curiam*, ubi cædes facta, secum non detulerunt. Quodcunque horum fuerit, semper tamen ritum jurandi militarem hic intueris, cujus causa hunc tibi Numum depinxi.

Lib. IX.
p. 567.

IV.
Tab. I. n.
18. & 19.

PUBLIUS. Qui sequuntur. Tabulamque I. concludunt, *Numi XVIII. & IXnus*, ex meis a te sunt electi, imagine, & epigraphe fere pari. Prior areus medius in *Adversa* caput habet laureatom *M. Aurelii Augusti*, cum titulis. Hic in *Aversa* manus commissæ, fidei datæ certissima tessera, simul autem concordia, sine qua *Fides* inter plures consistere nequit, *Caduceum* sustentant alatum, & cornibus *Copia* stipatum, tanquam signis *Felicitatis*, quæ *Fidem*, *Concordiam*que subsequi consuevit. Pone: *S. C. Per* limbum inferiorem: *CONCORDIA EXERCITUS*. Alter bis mihi obigit, in argento parvus, in ære medius, *Nerva* Imperatoris. In cujus *Aversa* denuo dextræ commissæ *Aquilam* sustinent *Legionarem*, quæ *fulmini* pro more insistit, hasta vero inferius e *navi* exurgit, ad utriusque militiæ, *campestris*, ac *classicæ* consensum in fide contestandum. Circum lego: *CONCORDIA EXERCITUUM*. Rectene omnia? *TULLIUS*. Quod addam, nil superest. Perge sis ad numos *Tabulæ II. dæ*, quorum sex priores ad hujus *Dialogi* argumentum attinent, varii quidem imaginibus, &

im-

immutatis epigraphis diversi: sed in commendanda concordi militum fide una tibia sonantes.

PUBLIUS, Primus Tabulæ hujus ex meis est iterum, æreus medius, quem tamen ignorans cujusdam anterioris possessoris curiositas auro non ineleganter vestiri curavit, cum capite *Antonini Pii*. Aversa Concordiam, ut Semideam, stantem exhibet: quæ dextra sua victoriolam gestat cum palma, & lauro, læva signum sustinet militare, cum lauro in apice: pone: S. C. Per oram lego: **CONCORDIAE MILITUM**. Facilis est recensio, ubi plana sunt omnia. **TULLIUS**. Neque ambiguitati circa imagines locus, quando Numus eas definit. Quia vero epigraphæ dativo casu est, Sacra Concordiæ militum ab Imperatore *Antonino* facta intelligas. Arma quidem ipsemet, cum esset mitissimus, non induit: per Duces tamen bella plura gessit, non, ut raperet aliena, sed sua defenderet. Cum præterea Numo huic tuo ab homine ignorante, nimisque elegantiam affectante, aurum inductum esse sis conquestus: adducere tibi libet verba *Xiphilini* de *Antonino Caracalla*, ex *Dionis* Libr. LXXVII. excepta in hunc modum. „ *Antonino*, cum „ alia, tum pecunia vitiosa fuit. Nam Denarii, solidique, quos „ nobis præberet, aut plumbo, argento inducto, aut ære in- „ aurato parabantur. „ Nisi contra rectius dixerit, plumbo, quod „ gravius, ac mollius est, aurum, æri vero argentum inductum esse, quod observavit *Cl. Frölichius*. Juxta *Plinium* L. XXXIII. cap. 46. *M. Antonius* Triumvir jam cepit ferrum argento miscere: cujusmodi Numi, ac Denarii pariter sub *Valeriano*, atque *Gallieno* reperiuntur: deinceps vero innumeri ærei, argento solummodo tincti occurrunt. Quæ adulteratio cum publica subinde auctoritate sit facta: quid mirum, si eam privati quoque subinde imitarentur?

V.
Tab. II.
n. 1.

De Numis vitios.
of. p. 7.

VI.
Tab. II.
n. 2.

Imqp. p.
351.

PUBLIUS. Numus alter æreus parvus, æque meus, *Numeriani* capite radiato signatus in Aversa, iterum Semideam sedentem habet in Aversa, cum patera in dextra, læva vero militare signum tenentem, signis aliis duobus post eam, hinc, & inde erectis. Circum: **FIDES EXERCITUS AUG. usi**. Infra scribitur: **SISC. ie** Δ. i. e. *Officina quarta*. **TULLIUS**. Parem Numum, alterius vero moduli, exhibuit *Patinus*. Porro *Numerianus*, compositi animi Princeps, Apri Soceri perfidia sicarie interemptus, ad fallendum tamen Exercitum, tanquam æger, lætica tamdiu deportatus, usquedum nimis fœtor crimen detexerit, militarem sui Exercitus Fidem de-

functus ultione sui expertus est, quam vivus per se probare non potuit.

- VII.
Tab. II.
n. 3.
- PUBLIUS.* Qui sequitur, Numus æreus medius mei denuo cimelii, haud paulo elegantioris typi est, ac proinde, ut puto, etiam rarioris: quo *Alexander Severus* honoratus fuit. Adstat is in Aversa, cum patera, & hasta ante Aram, & a retro stante milite, qui clypeum ad pedem sustinet, laurea coronatur. Ante ipsum Jupiter cum hasta, & fulmine consistit, cui, ut opinor, sacra pro Militum Concordia facit. Medium inter ambos erectum stat Signum sine Aquila. Supra scribitur: FIDES MILITUM. Infra: TES. *salonica T. ertia*, nimirum Officina. *TULLIUS.* Merito gaudes hoc Numo, quia rursus differt a *Patiniano*, qui Signo militari destituitur. *PUBLIUS.* Proximus Numus quartus alieno ex horto est, Deamque stantem redhibet, cum victoria parvula, & hasta pura, addito lemmate: FIDEI LEGIONUM. TR. *ibunit. P. oestate COS. ul.* Pone literæ: S. C. Arbitror hunc numum sola inscriptione singularem esse. *TULLIUS.* Rite sentis. Pingitur is rursus a Cl. *Patino* inter cæteros *Septimii Severi* Numos, bellicosi admodum Imperatoris.
- Imp. p.
278.
Tab. II.
n. 4.
- Imp. p.
222.

- VIII.
Tab. II.
n. 5.
- PUBLIUS.* Numus V. *Vitellii* ego teneo, æreum formæ mediæ, cum capite ejusdem in Aversa, & elogio *Germanici*. In Aversa nihil præter dextras commissas apparet, subjuncto S. C. Supra, & infra lego: CONSENSUS PRAETORIANORUM, Infelix hic, & indignus Imperator, ut a Scriptoribus depingitur, parum hoc consensu profecit: vel, quod Prætoriani sui adversus reliquum Exercitum non valuerint: vel, quod magis in interitum, quam fortunam Cæsaris consenserint. *TULLIUS.* Ut fuerit, hic Numus tuus non de obviis est. Iisdem porro dextris commissis in aliis *Vitellii* Numis etiam adscriptum: *Fides Exercituum: Consensus Exercituum: Concordia Exercituum: aut Prætorianorum.* Immo apud Eruditiss. *Liebe* Numum argenteum videas, cum pari dextrarum typo in utraque sui facie: hinc tamen cum lemmate: *Fides Exececituum: inde cum epigraphe: Fides Pratoria.* Quem Numum Cl. *Froelichius* de Num. viciol. Monetariorum errore affectum suspicatur.
- Goth.
Num. p.
248.

- IX.
Tab. II.
n. 6.
- PUBLIUS.* Sextus, & in meis exstans, æreus parvusque *Cari Augusti* Numus, Deam exhibet stantem, cum oleæ ramo in dextra, & in sinistra cum Aquila Legionari, Epigraphe: PAX EX-

ERCITUS. Par autem est mihi ejusdem Imperatoris Numus, ubi *Pax Exerciti* lego. *TULLIUS*. Hunc posteriorem Cl. *Patinus* pinxit p. 350. addens, alias nuspiam hanc epigraphen sibi lectam esse. Ego quoque miratus eandem, quia militum fortium e voto arma potius, quam otia Pacis esse solent, interpretabar hoc loco voculam *Pax*, pro *Concordia*: cum discordia militum, quasi bellum quoddam intestinum, externo quovis deterius esse soleat. Quæ mihi causa fuit, ut hunc Numum anterioribus adjicerem. Proximo Dialogo proficiscemur cum Imperatoribus in Castra, & horum formam ex Numis discemus. *PUBL*. Spectator ero lubens, & inscutor: quia Romanus non sum, & stipendia mereri non cogor.

DIALOGUS VII.

De Belli Denunciatione, Profecione
Imperatoris in Castra, horumque forma.

TULLIUS.

Militum quidem delectus, adjuratio, Ducumque Ordines, I. fiebant Belli causa: verumtamen armata Roma omni tempore fuit, etiam cum hostes non haberet, licet rarum hoc foret. Profecio autem Imperatoris non suscipiebatur, nisi certo Bello. Hujus porro tanta erat Religio apud veteres, ut, nisi prius per *Feciales* indictum, non inchoaretur. De horum Sacerdotum Collegio bis Decemvirali ex instituto disseram Parte IV. cujus argumentum erit Religio Augustorum. Hic sufficiat tibi, prænosse Munus eorum, quod erat, Bellum denunciare, Fœdus, Pacemque ferire. Utriusque muneris ergo *Fecialibus* hic locus debebatur, priusquam Imperatorem abiturientem sequamur. Recense Numum VIIimum, qui mihi rem clarius exponendi ansam præbebit.

BUBLIUS. Latabar hætenus, quoties mihi hujusmodi imperium dabas: at modo trepido, dum typum hunc, quem oculis II.

Tab. II.
n. 7.

lis, dudum præcurri, ænigmati simillimum habeo. *TULLIUS*. Au-
de aliquid. Obvia in Numis enarrare profecto artis non est.
Hanc ut assequaris, abstrusa quælibet pusillanimis abjicere non de-
bes, quin potius ad illa majores animos capere. *PUBLIUS*. Di-
cam, quod video: quid videam, undique ignoro. In medio con-
fidet vir, aut mulier, quod nescio animal super genua gestans
resupinum, occisum jamjam, aut statim occidendum. Qui enim
ad lævum adstat vir, dextra stilum, aut cultrum illuc applicat.
A dextris Miles galeatus cum hasta stans, digitum in illud in-
tendit. Supra scribitur: ROMA. Tantum ac nihil præterea
novi.

III. *TULLIUS*. Bis occurrit hic Numus apud *Ursinum* in Gente
Veturia p. 289. Primum cum capite Romæ in Adversa, & epi-
graphie: *TI.berius VET.urius*: quæ syllaba tribus literis contra-
ctis exprimitur. In altero Numo cum Jano bifronte, nullo No-
mine addito. Aversa ubique par est: nisi, quod in uno vox RO-
MA superius, ut hic, in altero inferius legatur. Non tamen
apud *Ursinum* animal aliquod videtur: sed figura media, uno ge-
nu procumbens, ab utraque adstantium vulnerari, ac perfodi ap-
paret. Unde celebris *Perizonius* eam in suspicionem venit, Mar-
tem, ac Ducem aliquem Romanum, hic adstantes, hostem sub-
actum trucidare.

IV. At vero Ill. *Spanhemius*, qui hunc Numum ex alio cimelio pa-
riter vulgavit, edocet me Tom. II. p. 204. a figura media por-
cum teneri, unumque adstantium *Fecialem* esse: atque adeo præ-
sentem Numum ad Fœdus quoddam initum referri debere, cum
Ursino, aliisque consentit. An porro ad Fœdus Romanum cum
Sabinis, an alia cum gente? Utrum *Tiber. Vettius*, aut *Veturius*
Fecialis fuerit? ambiguum dicit. Id, quod nostræ disceptationis
non est. Sufficit, plurimum celebrium Antiquariorum sensu, ac
consensu, *Fecialem* hic comparere.

V. Horum Sacerdotum Antistes, *Pater Patratus* dictus, cum bel-
lum Populo extero denunciandum esset, verbena, i. e. herba
quapiam, a ferro dicta, vulgò *Eisenkraut*, cum sociis cinctus, mit-
tebatur *clarigatum*, ut agebant: Scilicet, ut clara voce res ablatas
ab hostibus repeteret, Deos, Deasque, vindictæ causa compel-
lans. Ni audiretur, lanceam, sanguine fœdatam, hostiles in
agros projecit, sive, quod *Virgilius* cecinit:

-- -- jaculum intorquens, emittit in auras
Principium pugnae.

Aen. IX.
52.

Cum Fœdus feriri oporteret, idem, pariter verbena cinctus, hostæ loco caduceum gestans, porcum, aut ferro, aut lapide acuto, medium dissecuit, utrique paciscentium turbæ adstanti partem unam tribuens, cum dicto: *Sic Jupiter feriat eum, qui primus rumpet pacem, quemadmodum ego hunc ferio porcum.* Lapidem insuper in altum projiciens, addidit: *Si sciens fallo, tunc me Diespiter, salva Urbe, Arceque, bonis ita ejiciat, ut ego hunc lapidem ejicio.* Hinc tenuo *Virgilius*:

VI.

-- -- -- Cœso jungebant Fœdera porco.
Atque hæc sunt, quæ Numi hujus aspectu te discere volui. Nunc insequentis periculum fac.

Aeneid,
VIII.

PUBLIUS. Et hic adhærerem, nisi nossem, de Professione Imperatorum sermonem nobis esse. Juvenem ergo Ducem equo veloci, cum Sceptro militari, Castra petere, ex Aquila, Signifque post eum erectis, facile auguror. Nomen ejus prodit epigraphæ: *C. ajus CAESAR AUGUSTI F. ilius*: adoptione nimirum, quoniam eundem Gener *Augusti*, scilicet *M. Agrippa*, sicut & *Lucium* fratrem, genuerat, Cæsares ambos, ac Principes Juventutis appellatos. *TULLIUS.* Gnaviter ais. Pinxi tibi hunc Numum ex III. *Spanhemio* II. 205. In cujus Adversa fulget Augustus. Hic, teste *Suetonio*, ambos Nepotes circum Exercitus, ac Provincias misit: & hic *Cajus* in Armeniam proficiscitur, ubi præcox fatum invenit.

VII.

PUBLIUS. Numi, Nonus, ac Decimus, ex te si audiero, quorum sint, cum eos ipse non teneam, facile recensentur, cum & imagines, & epigraphes planæ sint. *TULLIUS.* Gratae varietatis causa eosdem tibi exhibeo: primum *Hadriani*, & æris magni, ex *Goth.* Numar. p. 207. Alterum *Lucii Veri*, æris medii, ex *Patino* Impp. p. 214. *PUBLIUS.* Laureatus Imperator in priori, equo celer, hastam laxa gerens, dextram extendit. Circum le-

VIII.

Tab. II.
n. 9. & 10.

go: COS. III. Infra: EXPED. itio AUG. usti. Posterior denuo Imperatorem equitem sistit, & laureatum, cum hasta transversa, gravi passu

passu, manuque non extenta, incedentem. Epigraphe: PRO-
 FECTIO AUG. *usli*: item residui ex Adversa tituli: TR. *ibun*.
 P. *otefate III. tium*. Infra: S. C. *Hadrianum* omni prope Imperii
 sui tempore profectum, lustrasse plerasque Imperii provincias,
 ac benefaciendo easdem pertransiisse, probe novi, sicut & ad-
 ventum ejus plurimis Numis celebratum: de bellica vero illius
 Expeditione non ita mihi constat. TULLIUS. Docet eam *Spar-*
rianus, inquiens in ejus vita: *Audito tumultu Sarmatarum, & Roxo-*
lanorum, præmissis exercitibus, Mæsam petiit. Collega M. *Aurelii*,
 scilicet L. *Verus* Augustus, hilaris genii, profectus est quidem in
 Castra: bellum vero per Duces duntaxat, & Legatos gessit. Ni-
 hilofecius tamen Armeniaci, Parthici, Medici elogis gloriaba-
 tur.

IX.
 Tab. II.
 n. 11.

PUBIUS. Numum XI. mum ut unum ex rarioribus intueor:
 in quo Imperator eques elata dextra milites quatuor, cum Aquila
 Legionari, & Signis duobus prælatis, Exercitum redhibentes al-
 loquitur, ac forte in adventu suo salutatur. Supra legitur: EX-
 ERGIT. *us ISC*. Infra: S. C. TULLIUS. Rarissimus certe hic
 Numus est *Marc. Cassii Latieni Postumi* Tiranni, Viri a Fortitudine,
 & Æquitate sua clarissimi. Hunc *Valerianus* Imperator, amplif-
 sime commendatum, Gallia præposuit: *Gallienus* vero filio *Salomi-*
no, illuc missus, juventutis moderatorem dedit. Galli vero, pue-
 rum Principem ferre nolentes, hoc occiso, *Postumum* ut Augu-
 stum acclamarunt: qui mox *Cajum* filium Collegam imperii fecit.
 Sittit itaque hujus Numi Adversa caput *Postumi* Patris in Corona
 radiata. Epigraphen Aversa *Patinus, Vaillantius, Trifstanus*, alii-
 que, nil hæsitantes legerunt: EXERCIT. *us ISC. anicus*: quod
 scilicet apud *Isfam*, Britannia urbem, Comitatus Monumethensis,
 ad fluvium Nominis ejusdem, sit demoratus. Verumtamen
 Cl. *Harduinus* hic denuo peculiariter sentiens, ait: Imperatorem
Postumum in hoc Numo Exercitui quidem alicui dare imperia: hunc
 tamen inepte *Isfanicum* dici, neque prudentius in alio hujus Ti-
 ranni Numo, in quo scribitur EXERC. VRC. legi *Vacciacum*.
 A Provinciis enim integris, non ab Urbibus privatis, Exercitus
 esse cognominatos. Quare in epigraphe hujus Numi syllabam
 ISC disjicit, & ita legit: EXERCIT. *us J. ubente S. enatu C. on-*
scriptus: uti altero in Numo supra commemorato: EXERC. *itus*
U. rgenie A. ugusto C. onscriptus. Fundamentum sic interpretandi
 sumit

In Plin.
 suo
 Tom. I.
 P. 144.

fumit ex formula Romana: *Senatus jubet, Augustus urget.* Confirmat hoc ex tertio adhuc ejusdem *Postumi Numo*, in quo scribitur: EXERCITUS AUG. Ingenium sane hic elegans est: sed ænigma nimium videtur.

PUBLIUS. Duodecimus quoque Numus perelegans est: in quo Imperatorem equitem cum hasta, vel telo transverso, victoria præit alata, læto eidem omine palmam præferens, & laurum, cum lemmate: VICT. oria COMES AUG. *usti.* *TULLIUS.* Et hic pariter Numus laudati *Postumi* est apud *Patinum* p. 334. Vicit ille: neque solummodo Victoris elogium tulit, verum etiam in cæteris Numis *Patinianis*, ut *Restitutor Gallia*, ut *Hercules Deusomensis*, *Macusanus*, *Inviælus*, *Pacator Orbis* prædicatur. Ubi ad virtutem, qua claruit, adulatio plurimum addidit. Nihilominus tamen a militibus propriis, quorum disciplinam exactius perurfit, unacum Filio trucidatus est.

PUBLIUS. Vis, ultra progrediar? *TULLIUS.* Omnino. Profectos Imperatores vidimus; quo pervenerint, æque intueamur. *PUBLIUS.* Numus XIII. in hanc rem quid me doceat, nullibi dispicio. Ignoro enim, quæ sit illa figura quadrata, pedibus quatuor suffulta, & superius reticulata, vel quasi chlatrata, cui lancea accumbit. Turbat me pariter epigraphe, dum in summo duabus lineis lego: AUGUSTUS. TR. *ibun.* POT. *estate.* Inferiorem deinde per oram: L. *ncius* CANINIUS GALLUS III. VIR. Cupidus, quid hic lateat mysteriorum, intelligam. *TULLIUS.* Sapere in omnibus Numis necdum datum est Eruditis, & nec etiam ubilibet magnopere interest. Edidit hunc Denarium *Ursinus* p. 60. in Gente *Caninia*, cum capite *Augusti* in Adversa, & Nomine. Vulgavit eum pariter *Spanhemius* II. p. 193. atque, figuram quadratam *Vaillantio* visam esse tanquam *Lectisfermium*, sive *Lectum*, cui-dam Deorum, Dearumve instratum: de quo lepido religionis Romanæ ritu nos Parte IV. differemos. Cui forte consonare videatur, quod *Mediobarbus*, novissime ab *Argelato* curatus, p. 31. hunc Numum iis accensuerit, qui An. V. C. 731. quo *Augustus* Tribunitiam Potestatem primum suscepit, & ægrotavit, pro salute ejusdem votivi cudebantur. Sed opinio ista *Spanhemio* non probatur. Refert igitur & alteram *Ursini*, quam dicit *Morellio* dubiam visam: scilicet hic representari *Tabernaculum* quodpiam *Prætorium*, atque *Ca-larense*, atque innui alicujus Oppidi sub Augusto factam oppugna-

tionem : quod affirmare Vir Ill. non ausus est ; nihil tamen ipse melius conjicit. Esto autem, hæc opinio forsitan fallat : mihi tamen *Tabernaculi Prætorii* memoria, hic ingesta, commodam præbet ansam, de Castris Romanorum nonnulla tibi suggerendi. *PUBL.* Multum id expectavi : ausus vero non sum, ordinem, qui tibi placet, interpellare.

XII. *TULLIUS.* Dum de Castris Romanorum tibi dico, Civitatem quodammodo cogites, velim. Prædicante *Lipso*, adeo nihil temere, nihil inconsulto, sed omnia cum certa ratione, ac ordine pulcherrimo, gessere Romani: ut vix demum aliquid subito, inopinatoque eisdem accidere posset. Quare sic proficiscebatur Exercitus, ita manebat, ut semper esset instructus ad pugnam, & sub iter *Acies ambulans*, in Castris *Acies considens*, dici promereretur. *Cæsare* deinde teste, *Castra eorum referebant figuram Urbis*. Unde sunt, qui existiment, eadem compluribus Urbibus ortum dedisse. Quocunque igitur Imperator cogitaret, Regnum illud, aut Provinciam, unacum fluviis, rivis, vallibus, montibus, ac semitis, præter milliaria, in tabulis, mappisque descripta tenebat. Exercitum ubique Metatores, cum Tribunis, ac Centurionibus præbant: qui, explorato, dimensoque Castrorum loco, hic Prætorium, hic Legati, hic Tribunorum, hic Legionum stationem commodam designabant. Fixerunt ubique Aquilas, & Signa, hastis prælongis latera concludentes: ut, cum veniret Exercitus, unusquisque, ubi diverteret, mox prævideret, & Castra, ut Urbem plateis ex ordine discretam, ingrederetur. Si una nocte ibi subsistendum, fecere *Mansionem*: si longius, dixerunt *Stationem*: si per hyemem (nec enim Urbes ingrediebantur) *hybernabant*.

XIII. Mox, ut ingressi sunt Castra, militum erat, *opus facere*, i. e. illa munire, tametsi unius duntaxat noctis *mansionem* haberent. Ante illa fuere *Procastria* pro calonibus, laxis, mercatoribus, impedimentis: quibus omnibus extra valla manendum erat. Castra, quadratæ ubique formæ, & quatuor portarum, semper vallo, e gleba congesto, incingebantur, nisi loci opportunitas ligna, lapidesque sufficeret. Altum id semper tribus pedibus, cumque periculum foret, etiam tantundem, ac tertium altius fuit. Firmatum est sudibus, terræ infixis, ac insuper fossa, octo pedibus lata, decem profunda, præmuniebatur. Grandis hic labor peditum erat, quos Equitatus protexit, Cum hostes vicini essent, armati toti

hoc opus facere iussi sunt, Imperatore peculiari quodam cum agmine hostes observante.

Prætorium, sive Mansio Imperatoris, tanto circuitu fiebat, ut cum omnibus, ad se atinentibus, eumque comitantibus, commode subsistere, capere auguria, comitia bellica agere posset. Post hanc Mansionem, tutissimo semper loco, primumque in medio Castrorum, deinde edito in colle positam, ut Imperator omnia circumspicere posset, Porta *Prætoria* fuit. Huic recta linea opponebatur Porta *decumana*, ubi *Quæstorium* situm, in quo Aerarium erat, omnisque præda reponebatur. Vicinum erat *Penuarium*, ubi *Annona* servabatur: propingua pariter *Quintana*, sive locus, mercibus, prædisque distrahendis destinatus. Aerarii causa hæc Porta præ omnibus communita est maxime, præsidioque fortissimo custodita. Transversa in ligna limitem utrumque faciebant Porta, dictæ *Principales*, dextra, itemque sinistra: quemadmodum & via intermedia *princeps* appellata fuit.

XIV.

Legatus ad lævam Prætorii, *Tribuni* post illud morabantur. Medium Castrorum occupabant *Equites*, postque illos *Triarii* demorabantur. Hos exceperunt *Hastati*, atque *Principes*: quorum tabernacula *Contubernia* dicta sunt, quoniam unumquodque eorum denos milites capiebat. Ad latus utrumque *Sociorum*, & *Auxiliarium* agmina degebant. Magna spatii intercapedo Tribunorum inter, ac Militum tabernacula nomen *Principiorum* ferebat: ubi fulgebant Aquilæ, & Signa, & e cespite Tribunal erigebatur. Oportuit hoc forum perpetua esse mundicie. Unde quotidie a militibus everri, immo & pulverum causa etiam unda conspergi debuerat. Hic Imperator, cum res posceret, milites alloquebatur: hic judicia fiebant: hic comitia: hic, extra supplicia capitis, pœnæ infligebantur. Ast manum de tabula: dictum sit satis de Castris.

XV.

PUBL. Satis etiam est mihi, quod mirer, te tanta compendio tantillo colligere potuisse. *Quirites* haud adeo demiror. Cum namque a bellis vix unquam cessarent, Civesque omnes tam longa stipendia facere cogerentur: usus unumquemque docuit, quid optimum factu, quid utilissimum, quid necessarium foret. Prudentia certe usum, longasque observationes pro incunabilis habet. Ingenium nullum, Ars nulla, vel Scientia tantum perspicit, quantum plurium annorum consuetudo, & exercitatio vident. *TUL.*

XVI.

Recte, si unquam, hic philosopharis. Agedum autem, Castrorum quoque formam gemina saltem in imagine intueamur.

XVII.

PUBLIUS. Numus decimus quartus consimilis est illi, quem Part. II. Tab. IV. n. 4. pinxeras: ita vero, ut supra *Ædes* quadratas, ostio aperto patentes, hinc & inde parvi modii starent, spicis prodeuntibus, cum epigraphe: *Providentia Caesarum*. Monuisti me porro ibidem, plurimorum communi sententia his ædibus non *Granarium*, sive *Domum annonariam*, sed potius *Castra Prætoris* figurari. Id sane, quod hoc in Numo præsentem luculente admodum patere videtur: ubi in apice *Ædium* nequaquam *Modioli frumentarii*, sed binæ *turriculæ*, intermedia *Stella*, comparent, cum lemma: *SPES ROMANORUM*. Tu quid hic observes, libenter admodum hauriam.

Tab. II.
n. 14.

XVIII.

TULLIUS. Numus isti minimi aris ita exstat apud *Cl. Patinum* Impp. p. 389. & 390. bis quidem, primum cum capite *Flav. Magni Maximi* Tiranni, deinde cum capite *Victoris* filii ejus. Puto autem, vel solam epigraphen: *Spes Romanorum*, quadammodo pronunciare pro communi, ac evincere prope, *Castra Prætoris* hic comparere: si tamen verba cum imagine loqui consentiamus. Haud etenim argumentum *Spei* apud *Martiam Romam* amplius aliud esse potuit, quam arma cum *Victoria* circumlata: per quæ sola & felicem fieri se credidit, & felix effecta est. Neque abludivit lemma alterum: *Providentia Caesarum*: quod in Numis hujusmodi multo frequentius occurrit. In quo namque *Populus* perpetuo *spem summam* reposuit, illi utique par erat, etiam *Principem* ante alia omnia curis maximis intendere, neque alterius rei, ac *militaris*, felici *providentia*, laudem ampliolem colligere. Credamus ergo, hujusmodi Numis, toties *ære publico* repetitis, *Constantiniano* cum primis tempore, *Castra* designari, horumque formam quadratam, portarumque situm, perspicue redhiberi: quamvis hic sola *frons* eorundem aforis compareat.

XIX.

Tab. II.
n. 15.

PUBLIUS. Numus XV. tue omnium in hac Tabula elegantissimus mihi videtur. Exhibet is *Castra Prætoris*, quadris lapidibus constructa, formæ rotundæ, pluribus turribus, geminoque ostio anterius conspicua, cum fascia quasi per medium, in qua scribitur: *IMP. eratore RECEPT. o.* Media sub alta, amplaque porta, acuminato fastigio intacta, stat *Imperator* cum *hasta*, poneque illum a dextris *aquila Legionaris*. Omnis hæc pervenusta
imago

imago melius oculis hauritur, quam verbis intelligitur. Cujus hic Numus Imperatoris extiterit, libentissime audiam. *TULLIUS*. Eum *Aeneas Vicus* aureum protulit inter ceteros *Tiber. Claudii* Numos: *Mediobarbus* porro primo hujus Imperatoris anno assignavit. *Levinus Hulsius* Gandavus eum interpretatus est de inopinato eventu, quo *Claudius*, a gregario milite ad necem quaesitus, conversione subita Imperator salutatus est, & lesticæ impositus, Militum humeris ad Castra deportatus, ac intra Vallum receptus est. Quo pacto hic Castra Prætoria Urbana, quæ Romæ fuerant, expressa sunt. Aliis tamen visum est, hoc Numo, *Claudii* adventum in Castra Britannica designari: quam in Provinciam, audito ejus tumultu, celer se contulit, juxta *Suetonium*, terrore, non armis, & sanguine vincens intra paucissimos dies. Reversus porro splendidissime triumphavit: Navali etiam Corona gloriatus, quasi Oceanum perdomuisset. *PUBLIUS*. Nihil *Claudii* gloriæ, undecunque collegerit illam, invideo. Castrorum autem tam splendidam formam, sive Urbana illa fuerint, sive Britannica, tuæ benevolentiae, cum gratissimi animi contestatione, insigniter debeo.

DIALOGUS VIII.

De Adlocutione Militum, Augurio,
Obsidione Urbium, & Vallorum.

PUBLIUS.

Concionum ad Milites, quibus peculiare *Adlocutionum* Nomen impositum fuit, multa erat vis, & ideo perpetua inter omnes gentes, atque cum primis apud Romanos, consuetudo: adeo, ut omnia subinde ab Augustis, & apud Milites, & apud Scriptores, vitio deputaretur. Primi namque se contemptos reputabant: postremi hanc omissionem socordiae, uti *Tacitus* in *Vitellio*, damnabant. Factæ sunt autem vel initio

I.

Ex-

Expeditionis ad excitandos animos : vel ante prelium ad inflammandam virtutem : vel post Victoriā ad laudes obrem bene gestam camulandas, & præmia decernenda : vel tandem ad Pacem, compositis cum hoste rebus, promulgandam. Agebat hoc Imperator in Suggestu, vel Tribunali militari e cespite, sive natura elato, sive dedita opera congesto, nisi se lapis hanc in rem commodus offerret. Præibat Signum, per lituos militibus datum. Stabat quandoque, alias etiam sedens declamabat Orationem, vel proprio spiritu ex tempore conceptam, vel sua meditatione, aut arte aliena prius paratam, & ex libello recitatam. Oportuit enim Sermonem, qui sanguinem pro Patria posceret, & e venis eliceret, vehementem esse, vim & lacertos habere. Res porro tanta Numis dignissima videbatur : raro tamen communi peculio signabatur, sed Medallionibus plerumque indita fuit, qui maximi moduli essent. Duos hujusmodi ex Ill. *Spanhemio* II. 628. grandi ex forma in mediocrem, quantum licuit, contraxi : de quibus te audiam.

II. *PUBLIUS*. Primus eorum, numero Sextus decimus, Imperatorem laureatum ex læva parte stantem in suggestu exhibet, dextraque extenta concionantem, sella curuli post eum collocata : ante ipsum stant quatuor Milites, cum Scutis oblongis, totidemque Aquilis Legionariis. Supra scribitur : ADLOCUT. *io*. Infra : COH. *ortium*. Numus alter e converso Suggestum habet in dextra : ubi declamanti Imperatori a tergo Miles alius adstat : ante eum quinque sunt Milites cum Scutis longis, quorum unus Aquilam, alter Vexillum, tertius vero Signum sustinet. Supra lego : ADLOCUT. AUG. *usti*. *TULLIUS*. Medallio prior est *Cajii Caligule* : posterior *Gordiani Pii* : in quo Vir, post Imperatorem adstans, est Præfectus Prætorio. Aquila, Vexillum, Signum, universi Exercitus congregationem denotant. Rem consimilem de Bello Gildon. *Claudianus* ita cecinit :

*Dictis ante tamen Princeps confirmat ituros,
Aggere conspicuus : Stat circumfusa Juventus,
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.*

Adhuc autem aliquid superest, quod præmittebatur, antequam
ve

vel prelium, vel obsidio, aut pugna quælibet inchoarecur: cujus tibi exponendi copiam sequens Numus mihi faciet.

PUBLIUS. Sanè ad te pertinebit ejusdem explicatio, in quo nihil, nisi mysteria, cerno. Quid enim cantharus in medio ejus, inter fulmen, & caduceum? Epigraphe nihil docet, præter Nomen: *L. ucus PLANCUS IMP. ITER. um.* **TULLIUS.** Bis pinxit *Ursinus* hunc Numum, primum in Gente *Antonia* p. 24. deinde in *Munatia* p. 181. Tertium eundem reperi apud *Eruditiff. Liebe* Goth. Num. p. 234. Ubi autem *Plancus* prædicatur *Proconsul*, non *Imperator*. In Adversa undique comparent Nomen, ac tituli *M. Antonii* Triumviri Reipublicæ Constituendæ, & Auguris, cum Vasis Auguralibus. Aversæ imagines quod attinet, in diversa *Eruditi* discedunt.

Varia *Plancus* Munera gessit, Præfecti Urbis, Septemviri Epu-
lonum, Legati, & Proconsulis in Syria: quod postremum non Senatui, sed soli *M. Antonio* debuit. *Vaillantio* itaque visum est, Cantharum, sive Guttum, esse indicium Sacerdotii Septemviralis: Fulmen designare Triumvirorum imperium post occisum *Jul. Cæsarem*: Caduceum ejusdem felicitatem denotare. Et huc *Liebeus* quoque propendet. Contra *Patinus*, atque *Triflanus*, ad Historiam, summamque *Planci* cum *Antonio* conjunctionem respicientes, alia omnia cogitant. Legerant enim apud *Pludarchum*, *Antonium*, qui Legato *Ventidio* relatam de *Pacoro* Partho Victoriam invidens, novam Expeditionem in Parthiam suscipere decreverat, ex Oraculi, de bono eventu consulti Monito, Aquam de *Clepsydra*, Fonte scilicet quopiam in Arce Athenarum, secum accepisse. Sufficati sunt igitur, Vas in hoc Numo Aquam istam continere, ut Omen prosperi eventus, idque inter minas belli, fulmine designatas, Pacisque oblatæ indicem caduceum, collocatum esse. Fallit fortassis hæc opinio, uti eventus hujus Belli Parthici longe infelicissimi, *Antonium*, *Plancumque* fefellit. Sed mihi ex tentato Oraculo sequentium tibi dicendorum occasio enascitur: unde *piæi* a me hujus Numi ratio pariter tibi patebit.

Non est hic locus, de *Auguralibus* uberius differendi: quorum Collegium, & Munera, Parte IV. cæteros inter Sacerdotes laudabo. Unum est, quod nunc observes. Non discessit a Castris Imperator, obviam hostibus iturus, nisi auspicia vel ab Urbe haberet, vel, si cum imperio missus esset, ipse cepisset. Augurum

nempe, & aruspicum superstitioso artificio, pertentare eundem oportuit fatum, & Numina, vel ex avium volatu, vel pullorum esca, vel extis animalium, in sacrificio cætorum, & hoc pacto discere, an expediret, hac die rem facere militarem. Fuit hujus rei tanta vesania, atque deceptio, ut unius quandoque Aruspici mendacium potius, quam sententia, omnium Ducum consilio prævaleret. Imperator, qui Auspicia neglexit, aut contempsit, certocertius capite periclitabatur, maxime, si pugnatum improspere fuerit: nisi eundem summe repentina hostis aggressio, per quam ex insidiis occupabatur, culpa contemptæ Religionis eximerit. Perge sis jam ad Numum decimum nonum.

VI. *PUBLIUS*. Oppidum hic contueor, rotunda forma, muris, ac turribus octo conclusum, cum porta & turri principe in fronte, inscriptoque Nomine: TUSCUL^{um}. Obsidionem hic reor indicari, aut eliberationem ejusdem. *TULLIUS*. Recte conjicis in postremo. Protulit hunc Denarium *Ursinus* in Gente *Sulpicia* p. 267. cum capitibus Castoris & Pollucis in Adversa, pileatis, ac stellatis, addito nomine *L. ucus SERVIUS RUFUS*. *Tusculum* Civitas erat haud paulo Roma vetustior, ab eaque non plus itinere facili unius diei remota. Erat eidem Socia primum, postea subacta, & in Municipium conversa: demum contrita penitus, & solo æquata. Hic Cicero deliciabatur, ac celebre Volumen suum Tusculanarum Quæstionum condiderat. Excitata denuo e ruinis hodie Italis *Frascati* dicitur, habetque perpetuum Cardinalem Episcopum, Tusculanum appellatum. Dum Civitas hæc Municipium adhuc esset, otiosis Romanis, & exercitum non habentibus, a Veliternis infestata est, & obsessa. Ut juvaretur, publicis Romæ comitiis quinque Tribuni Militum deligebantur, teste *Livio*: quos iuter etiam *Sergius Sulpicius* fuit. Res ita belle successit, ut non modo Tusculum eliberatum fuerit: verum etiam Veliternenses domi suæ longe acrius obsiderentur. Ex hoc Avifui facto *Luc. Servius* & sibi, ac Genti suæ, gloriam æternam hoc Denario procuravit,

L. VI. c.
36.

VII. Sin porro, Publi optime, ut legere mihi ex facie tua videor de more Urbes obsidendi apud Romanos, aut saltem Romanorum formulis de obsidionibus differere aveas, paucis, quæ hic congero tibi, ausculta. Arma ad obsidendum adhibita, *Machinae*, quæ autem ex his acutioris inventi fuerant, *Ingenia* dicebantur: a quo Gal-

Gallicum *Ingenieur* profectum cenfetur. I. mum porro erat, *Corona Urbem aggredi*, i. e. undique cingere. II. Eam *cratibus confpire*, puta, plexos e vimine corbes circum plantare, quibus oppugnatores protegebantur: item *aditus cratibus expedire*, fcilicet confimilibus texturis fossas Urbis replere, viasque obliquas, & anfractus, accessui, & infestationi expeditos reddere. III. *Circumvallare Urbem* aggeribus erectis: qui, dum recta linea currebant, *Valla*, dum curva ducerentur, *Brachia* dicta sunt. His impositæ *Lorica* e trabibus, & afferibus, quibus milites pectoretenus tegebantur. IV. *Scalas applicare*, factas e corio, aut funibus, ad muros confcendendos. V. *Testudine portis succedere*. Hanc ingentes, ac robustiffimæ Militum turmæ fingeant, aliis rotunda Scuta tam arcta conjunctione in altum efferentibus, aliis oblonga Scuta post tergum ita fufinentibus, ut primi tectum folidum, postremi parietes firmos efficerent. Qua deinde veluti fub domo, Milites alii, securi a telis, lapidibus, pice, sulphure ardenti eorum, qui obfidebantur, firmo cuneo portas expugnarent. VI. *Turres ambulatorias agere*, trabibus ad murorum altitudinem compofitas: e quibus Milites æquali linea cum obfessis confisterent. Hæ, rotis impositæ, ut opus erat, confistebant, vel bobus, aut equis, fropius, longiusque admovebantur. Præmunitæ autem *Cervis* fuerant, i. e. palis fortibus, una linea profunde infixis, ut ab affultu hostium protegerentur.

VII. *Catapultis* tela lignea, *Baliftis* lapides incutere, five ad homines quaffandos, aut capita mœnium sternenda. Tam terribilis utraque roboris erant, ut primis afferes cubitorum duodecim, ad ftadii spatium, vi tanta, quæ ignem in egressu prolliceret, jacerentur: fecundis vero moles lapidum trecentarum sexaginta librarum excuti poffet. Quod vero in his maxime demireris, hæ machinæ, postquam onerata, tenfæque fuerant, ufus tam facilis exfiterunt, ut unius hominis opera folverentur. Videns eas *Archidamus*, exclamasse fertur: *Perit Virtus!* his percuffi, cum nullo remedio interire deberent, dicebantur *multi occubuisse*. VIII. tandem *Arietes admovere*, quibus muri fubtus e fundamentis per milites dejiciebantur. Hi opus suum fub *Vincis*, ac *Pluteis* tuti, fecerunt, h. e. fub tectis, quæ in modum domus afferibus compaginata, gleba, & viminibus infarta, pellibusque madentibus obducta erant, ne ignem hostilem, qui unus ad obnitendum efficaciffimus erat, facile conciperent.

IX. *Arietem* ipsum optime descripsit *Joseph. Flavius* Historiographus
 De Ex- „ *Judeus*, qui vidit, in hunc modum. „ *Aries*, trabs prægrandis,
 cid. Jero- „ quæ malum navis adsimilat. Is solidatur in capite gravi ferro,
 fol. L. III. „ in *Arietis* formam, unde & nomen adsumsit. Dependet me-
 c. 9. „ dius, funibus suspensus ex alia trabe, velut trutinâ, quæ trabs
 „ tignis utrimque firmis munita est, & fulta. Repulsus porro
 „ magna virorum manu retrorsum, iisdemque antrorsum statim,
 „ & cum impetu reflectentibus, quatit muros prominulo ferro.
 „ Neque est ulla turris tam valida, aut moenia tam lata, quæ, ut
 „ primas maxime plagas tulerint, sustinere, & subsistere assiduas
 „ eas possint. „ Sic olim *Obsidiones* fiebant: nec cito *Urbem*
 aliquam dixeris mihi, quæ subacta tandem, licet lente, non fue-
 rit, his omnibus machinis impetita. Verum, quid hæc ad hodie-
 na tormenta, & mortaria ignea? *PUBLIUS*. Semper homo fit ho-
 mini lupus, quousque generi nostro superbia, & avaritia, bello-
 rum prope omnium fontes, dominantur. Mihi porro, quæ his nu-
 meris constrinxisti, servient, cum *Scripta Veterum* legero: quo-
 rum solus cortex, citra nucleum, iis omnibus obtingit, qui verba
 mirantur, vero ignorant.

X. *TULLIUS*. Numum adhuc *Tabulæ* hujus ultimum inspice.
 Tab. II. *PUBLIUS*. Vallum videre hic mihi videor, ab hostibus duobus im-
 n. 20. pugnatum, a Milite Romano defensum: quod fere etiam per sub-
 scriptam Nomen *VAALA* confirmatum existimo. *TULLIUS*. *Ur-*
finianus hic denuo Numus, Gentis *Numonia* unicus p. 192. in *Ad-*
versa caput nudum habet, cum epigraphe: C. ajus *NUMONIUS*
VAALA. *Aversa* imago tam *Ursino*, ac *Patino*, quam *Spanhemio*,
 hunc *Denarium* pariter exhibenti II. p. 230. censetur, oppugna-
 tionem, ac propugnationem Valli reddibere. Putant præterea,
Numonium aliquem veterem, qui *Legatus Quincti Vari* fuerat in
Germania, fortem aliquam Valli defensionem vel tunc, vel potius
 antea, & alibi locorum fecisse, ac abinde cognomen *Vaala* assum-
 fisse. In *Germania* quippe infelix, dum *Varus* adversus *Barbaros*
 pugnaret, *Equitum Ductor* pedites fuga deseruit, neque sic ta-
 men fatum suum declinans. Nemo itaque dubitat, pugnam cir-
 ca Vallum hic ostendi: id solum anceps est inter *Viros* laudatos,
 an Romanum id sit, quamvis non more Romano constructum,
 nec amplius integrum, sed magna parte jam dirutum: an Barba-
 rum,

rum, Romano a milite impugnatum? Id, quod nostra non refert: quibus hic *Vallum* videre, satis jam est.

PUBLIUS. Tabulam III. cum venia tua arripiens, Numum XI. primum æque, ut *Valli* cujusdam occupati monumentum, respicio. Tab. III. Figuram certe reddit multorum palorum, arête sibi, ac decussatim, n. 1. in formam Crucis Andreanæ, superimpositorum, stante desuper Viro, atque gemina manu elata, Sertum, tanquam ovaret, ostendente. Epigraphæ: VIRT. us EXERC. itus. Infra: T. re-viri S. ignata A. i. e. *Officina prima*. *TULLIUS*. Numum hunc singularem æris medii, cum capite *Licini* Senioris in Adversa, pinxi tibi ex III. *Spanhemio* II. p. 230. ad cuius plane mentem tu eum recensuisti. Coronas in Viri manibus *Vallares* appellat, *Valli* formam habentes, iisque in præmium donatas, qui primi *Vallum* occuparunt. *Isaacus* autem *Verburgius*, cui curam hujus Tomi *Spanhemiani* debemus, in Præfatione notabat, pares etiam Numos *Constantini* utriusque, Patris, ac Filii, reperiri. Hoc porro suspicionem eidem ingessit, posse hic aliud mysterium latere, dubiumque exinde fieri, an hic *Vallum*, an potius *Crux*, in venerationem Religionis, appareat? Suspicitur autem duntaxat, non disceptat: unde alii de hoc arbitrentur. Nos Dialogo sequenti peculiaris nonnulla Militum quorundam fortissimorum Facta illustria in argento Consulari demirabimur. Sub Augustis enim, qui omnem ad se unos Gloriam rapuerunt, ejusmodi honor ad privatos haud amplius proficisceretur.

DIALOGUS IX.

Singularia nonnulla Militum præstantium Facta in Numis commendata.

PUBLIUS.

Alterum, ac tertium Tabulæ tuæ III. Numum, argenteos obtulit mihi fortuna, probe satis conservatos. An vero in præsens Gloriæ Bellicæ quadrent argumentum, hæreo tantisper, donec a te id mihi suadeatur. *TULLIUS*.

Tab. III. Cum recensueris eos, res tibi planior fiet. *PUBLIUS*. Prior in a. 2. & 3. Adversa caput *Sabini* Regis referens, cum Nomine, & Spica, hic duos Milites Romanos redhibet, cum raptis Virginibus Sabinis. Posterior, æque cum capite *Sabini*, in Aversa *Tarpejam* Virginem Vestalem, flectentem, & elatis brachiis lamentantem sistit, rursus inter duos Milites, qui Scuta sua in eam velut excutiunt, Scutis aliis tribus projectis jam humi recumbentibus, Supra comparet Luna cum Stella. Infra utroque in Numo legitur: *L. ucius TITURI. us.* Nota est porro ex *Livio*, cæterisque Scriptoribus Romanis, utriusque Numi hujus Historia.

II. Primum namque Anno Romæ conditæ quarto, novi Quirites, quibus Conjuges deerant, & postulatæ, negabantur a vicinis, eadem fraude, ac vi quæsiuerunt. Ludos quippe Consuales, Neptuno sacros, cultu maximo apparantes, ad eos spectandos Viciniam omnem invitarunt. Allexit plurimos magis Urbis novitas, quam exercitatio ludicra. Medium vero sub ludum, dato signo, Romana Juventus irruit Sabinas in Virgines, & unusquisque sibi obviam rapuit, Nobilioribus Regiam in domum abreptis. Hoc cernimus in Numo primo. Alter fraudem fraude graviter ultam testatur.

III. Dum enim ex raptu Virginum statim dicto bellum nasceretur, & Sabini omnium primi adversus Romanos arma educerent: Romulus arcem aliquam Urbis cuidam *Tarpejo* tuendam commisit. Hanc dum Sabini obsiderent, & filiam *Tarpeii*, pariter *Tarpejam* dictam, quæ aquatum exierat, interceptisset, tamdiu apud eam institerunt, donec proditorem Arcis facturam se spondisset. Mercedem id sibi depacta est, quod Sabini sinistro brachio gererent, armillas intelligens. Assensere illi, & facta proditio. Sed misera *Tarpeja*, fraude delusa, non armillas recepit: sed scutis militaribus, quæ pariter lævo brachio gerebantur, obruta, necata, & sepulta fuit. Arx abinde *Tarpeja* Nomen accepit: usquedum nobilius exstructa, ex alio eventu *Capitolium* appellaretur.

IV. *TULLIUS*. Rite ista enarrasti. Nonne autem, quæso te, uti a militibus patrata, ita & Facta vere bellica fuere? Raprum Virginum armis ultum iri a Sabinis, non ignorarunt Quirites. Militaris autem, & fortissimi animi erat, Uxoribus acquirendarum causa, e quibus novi Cives orirentur, contemnere periculum,

lum, hostesque ultro provocare. Factum, fatumque Tarpeïæ, quid prope quotidie accidat in bello, quid agendum, cavendumque sit, commodum docet. Proditio namque, ut optima Imperatoris, Ducisque supremi Consilia turbat, & evertit, ea parte, qua fit: ita e converso iis, a quibus procuratur, vel sola quandoque Victoriâ parit. Quapropter eadem consimili studio quæritur, atque cavetur. Vetus namque est illud Poëtæ:

- - An dolus, an virtus, quis in hoste requirat?

tametsi Proditio dolus malus est, ac prudentiæ sit, & æquitatis, frangenti fidem eandem pariter frangit, quemadmodum *Tarpeïæ* evenerat.

PUBLIUS. Herbam tibi porrigo lubens, Numosque meos lau- V.
 dados in censum eorum, qui Bellicam gloriam signant, jam facilis Tab. III.
 admitto. Quartus porro miræ mihi, abstrusæque imaginis est: n. 4.
 ubi tres Equites, cum clypeis, telisque prælongis, peditem unum,
 ense intentato obnitentem, citato cursu persequuntur. Infra le-
 go: A. ulus ALBINUS. Hoc sibi, quæso, quid velit? *TULLIUS*.
 Existat hic Denarius apud *Ursinum* in Gente *Postumia* p. 231. cum
 capite Dianæ in Adversa, adscripto nomine ROMA. Signatus
 fuit a *Lucio Albino Postumo*, sero Nepote, in memoriam vetustissimi
 quondam Avi sui *Auli Postumi*, Consulis An. V. C. CCLVII. at-
 que in Bello Latino Dictatoris creati. Cum namque *Tarquinius*
 dictus *Superbus*, septimus, & ultimus Regum Romanorum, ejectus,
 per *Mamilium* Tusculanum Generum suum in sui favorem Latinos
 adversum Romanos concitasset, grandi, fortique exercitu congrega-
 tos, *Postumio* Dictatore Romanos ducente: ad Lacum Regillum
 acerrimo prelio certabatur, rebus tam arctis, ut Magister Equi-
 tum froena singulis equis penitus detrahi præceperit, ne Romana
 juvenus eosdem in fugam reflectere posset. Vicerunt Romani,
 ope, ut credebatur, Castoris & Pollucis, & Latini ad internecionem
 contriti sunt. Hac re post secula gloriabatur *L. Albinus*. Equites
 igitur in hoc Numo designant exercitum Latinum: qui pedes di-
 micat, ob arduitatem pugnæ quasi fugienti similis, attamen ob-
 stans, est *Aulus Postumus*, cui, tanquam Dictatori, equum ascen-
 dere in acie non licuit. *PUBLIUS*. Digna res memoria: quod
 æquius ferendum in Numis, ac persæpe tam enormis adulatio.

VI. *TULLIUS*. Quintum Numum exacte omnino inspicias, velim, Tab. III. atque recenseas. *PUBLIUS*. Eques hic comparet, extento brachio ensem librans, ac simul caput amputatum sustentans, clypeo appenso. Infra pedes equi, & in Segmento lego: Q. *uinctus* M. *arsus* *SERG. ius* *SILUS*. An probe? *TULLIUS*. Negligenter, & cum errore. Primum namque non observasti, Equitem hunc ensem, caputque, non dextra, sed læva extenta præferre. Deinde litera Q. non statim *Quinctus* legenda fuerat. *PUBLIUS*. Parce incuriæ, si dicere ignorantiam nolueris, & meliora doce. *TULLIUS*. Protulit hunc Numum *Ursinus*, & unicum quidem in Gente *Sergia* p. 256. neque dubitavit, militem hic depictum appellare M. *arscum* *SERGIUM SILUM*, invito autem Cl. *Harduino*: qui & *Valerium Maximum* eapropter suggillat. Premit etenim *Plinium* suum, In Plin. suo Tom. I. p. 391. not. 6. apud quem non aliter, ac M. *Sergius* legitur, & alibi dicitur, homines, naso sursum versus adunco & repando, *Silones*, non *Silos*, esse cognominatos. Unde in hoc Numo vocem *Silus* infra scriptam non ut cognomen agnoscit, sed pro ingenio, & solemniter suo, disijcit, hanc exinde sententiam fabricatus: *S. ergius* I. *italiam* L. *iberavit* V. *icies*. S. *exies*. Literam Q. legit *Questor*, qui materno sanguine *Sergio* propinguis, hoc Numo ejus memoriam restituerit. Nos cuilibet largiamur opinionem suam.

VII. Ego *Sergium* hunc, Militem quidem lego, in paucis fortissimum, immo & *Luc. Aemil. Pauli* Consulibus An. V. C. 586. Legatum in Bello Persico: nescio tamen, utrum *Liberatoris Italiae* præconium unquam acceperit. *Plinius*, itemque *Solinus*, ex Oratione, quam pro se habuit, jam vero non exstat, de eodem referunt, cum ceteri vicissent homines, ipsum superasse fortunam. Stipendiis duobus, quæ prima fecerat, ter & vicies vulneratus est, & secundo manum etiam dextram perdidit. Sola nihilominus manu sinistra quater pugnavit, tumque Duci cuidam Carthaginensi, ut putatur, caput præcidit: quod proinde hoc in Numo, unacum ense, sinistræ brachio præfert. Abinde ferream sibi dextram curavit. e qua saltem clypeus penderet, sicque Cremonam obsidione exemit, Placentiam tutatus est, duodena hostium Cestra in Galliis cepit. Non quibuslibet, sed omnium asperimis eo tempore præiis interfuit, bis ab Hannibale captus, & semper diuturno ex carcere elapsus. Fecisset *Sergiam* Gentem suam immortalem, nisi ex posteris ejus *Catilina*, pestis Reipublicæ, fuisset. *PUBLIUS*. Intel- ligo

ligo jam, quantum neglexerim, dum brachii sinistri, dextrique officia hunc præclarum apud Equitem nulla cura observaveram, cum tamen, præter omnem consuetudinem exhibita, mentem pulsare meam haud immerito debuissent.

TULLIUS. Numus VI. utraque sui facie a me pictus, pariter ex *Ursino* in Gente *Sicinia* p. 263. a me exceptus, non minus attentum te postulat. **BUBLIUS.** Vereor oppido, ne & hic satis non videam. Adversa caput Fœminæ habet, fastigiolo ornatum. Circum legitur: FORT. P. R. Aufimne legere: *Fortuna Populi Romani*? **TULLIUS.** Non ita, sed FORT. itudo P. opuli R. omani: quod ipsum satis magnificum est. Fortunam suam Respublica privato non adscripsit. **PUBLIUS.** Aversa in medio caduceum habet erectum, & alatum, cum anguibus. Hunc palmæ ramus obliquo situ pertransit: a dextris est Sertum laureum. Epigraphe, varie per aream dispersa, sic habet: Q. uinctus **SICINIUS III VIR.** An & hic aberratum? **TULLIUS.** Non hercle. Cur autem in Adversa Caput Fortitudinis Dæ, & quidem ejus, quæ Populi Romani esse prædicetur, signatum existimas? **PUBLIUS.** Noli aquam ex pumice casto labore prolicere. Supra ingenium tironis hujusmodi mysteria sunt. **TULLIUS.** Recte ais: Numi Familiarum, atque Coloniarum, magnis etiam Viris per sæpe negotia dant, & sine Historiæ proba cognitione, quin & exquisitione operosa, plerumque enodari non possunt. Fortassis non ego solum, sed & clari alii Viri, Davi hic effemus, nisi *Valer. Maximus* facem prætulisset. Ejus verba prolixiora in rem præsentem hæc sunt.

„ Sed quod ad Preliatorum excellentem Fortitudinem attinet, merito *L. Sicinii Dentati* commemoratio omnia Romana Exemplis finierit. Cujus opera, honoresque operum ultra fidem veri excedere judicari possent: nisi ea certi Authores, inter quos *Marcus Varro*, monumentis suis testata esse voluissent. Quem centies & vicesies in aciem descendisse tradunt, eo robore animi, atque corporis utentem, ut majorem semper Victoriæ partem traxisse videretur. Sex & triginta spolia ex hoste retulisse: quorum in numero octo fuisse, cum quibus, spectante toto exercitu, ex provocatione dimicasset. XIV. Cives ex media morte raptos servasse: quinque & XL, vulnera in pectore excepisse, tergo cicatricibus vacuo. Novem triumphales Imperatorum currus secutum, totius Civitatis oculos in se nu-

„ merosa Donorum pompa convertentem. Præferabantur enim
 „ eidem Aureæ Coronæ octo, Civicæ XIII. Murales tres, Ob-
 „ sidualis una, Torques CLXXXVIII. Armillæ CLX. Hastæ
 „ XVIII. Phaleræ XXV. Ornamenta, etiam Legioni, nedum Mi-
 „ liti, fatis multa. „ Gloriosum hoc certe : quod pariter *Aul.*
Gellius confirmat, addens, ob ingentem Fortitudinem factum ei
 fuisse Nomen *Achilli Romano*. *PUBLIUS*. Capió modo, cur Deæ
 Fortitudinis caput hujus Numi Adversam exornet : & ea Populi
 Romani dicatur. Pulma, laurea, caduceus, ad felicitatem vin-
 cendi omnia referuntur.

Noct.
 Attic. L.
 II. c. 11.

X. *TULLIUS*. Infiniti fere superforent, quorum peculiaria in
 bello merita Numis Consularibus, ad memoriam posteriorum vul-
 gata sunt : quos tamen, cum ad Scriptores accesseris, industria
 tuæ colligendos relinquo. Unum adhuc, quem prædicat Numus
 VII. celebrari audiamus. *PUBLIUS*. Puer hic magis, quam il-
 lustris miles videatur, Eques tamen, tropheum humero gestans,
 cum epigraphæ infra, & circum : M. LEPIDUS. AN. XV. PR.
 H. O. C. S. Non ego huic Oraculo tibiam coram te meam ad-
 hibebo : tuam curiolissimus audiam. *TULLIUS*. *Ursinus*, apud
 quem hic Denarius in Gente *Æmilia* p. 7. bis pingitur, cum cæ-
 teris prope omnibus Antiquariis, confusus *Val. Maximo*, hanc epi-
 graphen, nihil hæsitans, ita interpretatus est : M. arcus LEPI-
 DUS AN. norum XV. PR. atextatus H. ostem O. ccidit C. ivem S. er-
 vavit. Ait enim *Valerius* in cæteris : „ *Æmilius Lepidus* puer, etiam
 „ tum progressus in aciem, hostem interemit, Civem servavit Cujus
 „ tam memorabilis operis index est in Capitolio Statua bullata,
 „ & incincta prætexta (veste nimirum puerili) Senatus Consul-
 „ to posita. Iniquum enim putavit, eum honori nondum tem-
 „ pestivum videri, qui jam virtuti maturus fuisset. „

Tab. III.
 n. 7.

Lib. III.
 c. I.

XI. Sed Cl. *Harduinus* veritus non est, asserere, *Ursinum*, cum
 aliis, *Valerio* male persuasum esse, dum sic legeret. Prætextatos
 enim in aciem admissos non esse, neque *Lepidum* in hoc Numo
 prætextatum pingi, sed paludatum. Quare Epigraphen ipse
 hunc in modum exposuit. M. arcus LEPIDUS AN. orum XV.
 PR. imus HO. stium C. asra S. uccendit. Percontari autem liceat,
 cum Anno XVII. mo demum emenso Prætexta poni consueverit,
 cur Vir perspicacissimus in Epigraphis resingendis, *Lepidum* fuif-
 se XV. Annorum fateatur, nihilominus tamen Prætextam in eo

In Plin.
 suo Tom.
 I. p. 390.
 not. 27.

non

non agnoscat? Tropheum is gestat, ex armis hostis occisi, ut verosimillimum est, constructum: quale vero e cineribus Castrorum succenforum conflare non potuit. Sed sapere in ejusmodi cuilibet licet, ut vult. Innumera erunt, in quibus, ære suo fingendis, Quiritum sensus ab Eruditorum opinionibus longe alius fuit.

DIALOGUS X.

De Victoriæ Imaginibus communibus,
& indefinitis.

PUBLIUS.

DUODECIM oculis præcurro Tabulæ tuæ III. tiæ Numos res- I.
duos, meris, aut maxime variis Victoriæ imaginibus per-
elegantem discretos: qui mihi spem faciunt facilis ex-
positionis. *TULLIUS.* Præmissis illis, quæ, vincendi fi-
ducia, cum cura, magnoque animo apparantur, quibusque po-
stea vincitur: vocat jam ordo argumenti ad ipsas Victoriæ, cum
triumpho relatæ, Imagines. Harum porro aliæ, quæ communes,
ac indefinitæ censentur, nil fere, nisi lauros, & palmas, ac spo-
lia ostentant. Aliæ contra rem exactius definiunt, & quinam,
ac ubi devicti sint, liquido enunciant. Primi ego generis typos
prope nimios tibi pinxi, tanquam per se obvios: in quibus re-
censendis tibi sermonem quasi perpetuum hoc in Dialogo cedam.
Volui autem & frequentiam Victoriarum, & varium artificum in-
genium, rem eandem nova itidem forma convestiendi, ob ocu-
los tuos ponere, ut idearum fecundus tu pariter feres. Angu-
sta ingenia sunt, quæ rei cujusdam non nisi unica species implet.
Incipe igitur a Numo Octavo.

PUBLIUS. Graditur hic Victoria, five potius volat, gran- II.
dem palmæ ramum humero gestans, circumque caput, & ante, Tab. III.
ac post illam quatuor Serta laurea frondent, Epigraphe est. n. 8.

L. ucius VINICI. us. An, quot lauri, tot Victoriæ? *TULLIUS.* Ita omnino. *Ursinianus* hic Numus est in Gente *Vinicia* p. 296. referens in Adversa Caput scæmineum laureatum, cum Nomine: **CONCORDAI**: veteri dialecto, pro *Concordiæ*. Victoria, & Coronæ, respiciunt *Augustum*, sub quo *L. Vinicius* iste Monetarius fuit, postea Consul suffectus. Corona prima innuit Victoriæ, de *Sexto Pompejo* in Sicilia relatam: quapropter Cæsar, ut adhuc Triumvir Reipublicæ Constituendæ, Urbem cum ovatione ingressus est. Altera Victoriæ de Pannoniis, Dalmatis, Japidiibus, & Galleis. Tertia Victoriæ ex Macedonia, & Actio. Quarta demum Victoriæ de Ægypto, & Cleopatra Regina. Sic *Ursinus* opinatur. Harum omnium causa triumphavit *Augustus* An. V. C. 723.

III. *PUBLIUS.* Bella est hæc Victoriæ imago cum tanto Coronarum apparatu: sed magis adhuc singularis mihi videtur Numi sequentis icon. Ubi Victoria Triumphatori, ni fallor, equos quatuor, ad quadrigas jungendos, hilaris adducit. Infra scribitur: **PLANCUS.** Num ita? *TULLIUS.* Aliud ex hac imagine intelligere vix queas. Adversa hujus Numi apud *Ursinum* in Gente *Plautia* p. 212. habet Caput juvene nudum, valde crinitum, forsitan Apollinis, adscriptus prænominibus *Planci*, scilicet: *L. ucius PLAUTIUS.* Victoria vero non ad ipsum attinet, sed ad *Munatium Plancum*, olim Consulem, ac de Rhætis triumphantem. Hic, dum in Senatu quæreretur, quo Nomine & Elogio honorandus esset *Octavius Cæsar*, Rerum Summam jam obtinens, Patribus **AUGUSTI** Nomen eidem tribuendum suavit, atque persuasit.

IV. *PUBLIUS.* Quotquot in hac Tabula Numi sequuntur deinceps, mei sunt omnes, præter alios complures, cum vix demum Augustorum sit aliquis, qui Victor in hoc Ære non prædicetur: ut proinde his typis nihil communius credam. Quem numero X. pinxisti, est *Vespasiani*, modulo magno. A dextris Palmam arborem exhibet, cum scutis hostilibus affixis, & ante stipitem assidente captivo: arboris culmini accedens Victoria laurum imponit. Circum legitur: **VICTORIA AUGUSTI.** In area: **S. C.** Numus XI. *Titi*, æque magnus, Aquilam habet Legionarem erectam: quam adiens Victoria cum palma, pariter Serto exornare velle videtur. Epigraphæ prior: **VICTORIA AUG.** Infra: **S. C.** Numus XII. *Antonini Pii*, mediæ aris, Victoriæ stantem refert, atque

Tab. III.
n. 11.

Ibid. n.
12.

atque tropheum situ transverso ambabus manibus gestantem : infra quod palmae ramus excrevit, cui Sertum laureum implexum. Pone : S. C. Per oram residuus ex Adversa sequitur titulus : IMP. II. dum. Numus XIII. æris parvi, cum capite *Probi* radiantem in Adversa, sistit Victoriæ gradientem, quæ dextra laurum ostendit, lævo brachio tropheum secumfert. Circum lego : VICTORIA AUGUSTI. Infra, inter literas R. S. quas legendas putem R. *avenna* S. *ignata*, fulmen transversum intueor, Jovis tesseram, cui vel adscripta Victoria, vel Victor *Probus* per adulationem comparatus. TULLIUS. Incertum quidem, non tamen male conjicis.

PUBLIUS. Numus XIV. apud me argenteus, & *Septimii Severi*, iterum Victoriæ exhibet stantem, erecto ante eam clypeo, super quem illa manibus ambabus ligamen tenet, five vinculum. Circum residui tituli : P. ont. M. ax TR. ib. P. ot. VIII. COS. II. P. at. P. atr. Infra : S. C. Ad ligamen hæreo, quale Victoria in alio quoque meo *Neronis* æreo Numo præfert, veruntamen tenuius, ut catenæ, aut funi non absimile appareat. TULLIUS. Moris erat apud Romanos, ut victos catenis onerarent, sicque ligatos currui triumphali præire compellerent. Unde de *M. Antonio* ita *Florus* vocabatur. „ Primus invasit Cretam cum ingenti quidem „ Victoriæ spe, adeo, ut plures catenas in navibus, quam arma portaret. „ De *Cleopatra* quoque Regina Aegypti, per *Cæsarem* victa, & metuente, ne ligata in triumphum duceretur, atque ideo morsibus viperarum se ipsam necante, *Statius* cecinit :

Actias, *Ausonias* fugit CLEOPATRA catenas.

PUBLIUS. Deinceps Christianos Victores expressisti. Primus *Constantius*, tertius *Constantini Magni* filius comparet in Numo XV. to, apud me æreo parvo, nisi medio illa ætate. Adstatis paludatus, cum Sceptro militari, quod læva tenet, & Signo Vexillari, Monogramma Christi referente, quod ipse dextra sustinet: at ergo advolans Victoria, laurum eidem imponit. Epigraphæ circum, & in medio : IN HOC SIGNO VICTOR ERIS. Infra A. i. e. in *Officina prima* SISC. i. e. intellige Signata. TULLIUS. Eundem Numum pariter pinxit Cl. Patinus Impp. p. 380. in cæteris *Constantii* Numis, æque Siscæ cusum, alterius vero moduli : ubi

Victoria stat, non volat, & epigraphæ tota per oram Numi abfolvitur. Monogrammate Christi, intra vexillum parvulum, aut labarum, expreffo, Filius, licet Arianus, Patrem imitatus est.

VII.
Tab. III.
n. 16. &
17.
PUBLIUS. Numi, XVI. ac XVII. æris minimi, funt unius *Constantis*, Fratris *Constantii*. In primo eorum duæ Victoriæ adstant, quarum qualibet laurum gestat, ac palmam. Circum: VICTORIAE DD. *ominorum* AUGG. *ustorum* NN. *oftrorum*. In altero Victoria unica cursitans, utraque manu elata Sertum laureum exhibet. In area dextra pone eandem rursus est Monogramma Christi. Per oram scribitur: VICTORIA AUGG. Infra in utroque Numo legitur: A. SIS. *ciæ*. Teneo vero tertium adhuc *Constantis* Numum, in cuius medio palmæ ramus excrefcit, quem Victoriæ duæ, utrinque adstantes, pariter sustinent, dextris elatis laurea Serta desuper conjungentes. Ita placuit artificibus, alio semper alioque ingenio in rebus iisdem varietate gratissima ludere.

VIII.
Tab. III.
n. 18.
Postremi tandem hujus Tabulæ Numi iterum diverso schemate funt, ærei ambo minimorum e numero. Prior *Arcadii*, redhibet illum stantem, cum Labaro Christiano in dextra: sinistra Victoriolam gestat, quæ ipsum lauro coronat: pede lævo fœminam proterit, nempe Provinciam quamdam devictam. Pone in Area Literæ R. M. ad quas hæreo. Circum: VICTORIA AUGG. *ustorum*. Infra: CON. *stantinopoli* OB. *signata*, vel O. *fficina* B. *secunda*, ut Græci suis literis computant. *TULLIUS*. Singulares, atque initiales Literas in hujus ævi minimis Numis, vocibus integris exponere, per ingenium quidem possis, verumtamen opinaberis duntaxat, nisi, quod uno in Numo talibus notis indicatur solummodo, in altero integre adscriptum reperiatur. Uti sunt: C. *laritas* R. *eipublica*: S. *eculi* F. *elicitas*: S. *ecuritas* P. *ublica*: T. *emporis* F. *elicitas* &c. quas epigraphes majoribus in Numis totas legere licet, in minimis autem solis Literis initialibus insinuatas. R. M. in hoc Numo tuo quid innuant, ex vero non facile dixerò.

IX.
Tab. III.
n. 19.
PUBLIUS. Numulus alter *Valentiniani* I. eundem sistit, extenta dextra stantem in navi, inque Signum Crucis, quod supra comparet, intuentem: pone illum est laureum Sertum: navim Victoria insidens, remigis more, gubernat. Epigraphæ: VICTORIA ROMANORUM. Infra scribitur: ANT. *iochia* E. i. e. *Officina quinta*. *TULLIUS*, Omnes hi Numi, eisque similes, communes cen-

cententur, tamenſi varietas eos diſcernat, & conſervatio proba elegantes efficiat. Inſequens Tabula rariores dabit, præſtantibus e cimeliis vulgatos. Cæterum ſi Numos erudite tractare mihi conſtitutum eſſet, oportuerat, omnium Victoriarum occaſionem, & epocham exquirere. Hoc autem, ut prolixum, ita & ſupra Rei Numariæ Rûdimenta fuiſſet, quæ ſola tibi Tironi ſuggerere propoſui. Cum ad Hiſtoriam Auguſtorum acceſſeris, per te, quo ſpectarint hi Numi, facile deprehendes.

DIALOGUS XI.

De Singularibus, ac definitis Victo-
rum Imaginibus.

PUBLIUS.

PRimi Tabulæ tuæ IV.tæ Numi Græci, tui, non mei ſermonis argumentum cum ſint, ob ignorantiam Tironis, maxime cum ignorem inſuper, quorum ſint, oro te, ut pendenti mihi ab ore tuo, auſcultandi munus relinquas. *TULLIUS.* Nec ego mihi aſſumo, aliter, ac e ſenſu Magiſtrorum Rei Numariæ, tecum diſſerere. Numum I. *Fauſtina* junioris protulit Cl. *Patinus* Imp. p. 201. æris medii. Stat hic Victoria alata, dextra demiffa duas, læva extenta tubam tertiam geſtans, famæ nimirum, Victorias undique promulgantis, indicio, cum nihil citius orbem implere conſueverit. Quod ad lævum Victoria pedem adſtat, animal incognitum, rotam ſuſtinens, *Patinus* non expoſuit. Circum legitur: AMACTPIANON: i. e. *Amactrianorum*. Hæc Civitas *Amactris*, quam volunt ab *Amactri* Regina Heracleæ conditam, & ab illa dictam, Galatiæ fuit in Aſia minori, quatuor e pagis compacta. Adulabatur *Fauſtina*, variis in Numis eandem ſub *Iſidis*, *Salutis*, *Felicitatis*, *Aequitatis* typis, hic etiam ſub *Victoria* imagine adumbrans: quod Cl. hujus Numi Editor ſuſpicatur: Vidi & alios Amactrianorum Numos, animal vero præſens cum rota nullibi conſpexi:

I.

Tab. III.
n. I.

- spexi: quæ si sola esset, celeritatem, ac volubilitatem, quapropter & Nemesi, & Fortunæ adjungitur, haud incommodum denotaret.
- II. **PUBLIUS.** Supra me adhuc talia sunt, donec benignior Apollo ingenium luce ampliori, inopiamque meam præfidiis pluribus donet. **TULLIUS.** Contendendum altius: nam ideo rudimenta ponuntur, ut gradus post gradum superetur. Qui sequitur Numus, ex Medallione *Caracalla*, per Ill. *Spanhemium* vulgato Tom. I. p. 642. exceptus a me fuit, & insolitum nihil refert, nisi, quod Victoria in Scuto, Palmæ arbori affixo, Græcum Nomen suum inscribat: NEIKH: i. e. Victoria. Per oram legitur: ΕΦΕCΙΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΑCΙΑC: h. e. *Ephesorum Primorum Asiae*. C. pro Σ. græcis in Numis frequentissimum. De Primatu porro, scil. prior loco, & functione in Conciliis, Templis, ac Ludis agendis, quæ alioquin illis communia erant, præcipuæ Asiæ Civitates, *Smyrna*, *Pergamus*, *Ephesus*, iterum, iterumque acerrime se inter contenderunt: ut late *Spanhemius* pertractat. Id autem hoc loco nostra non inreresit. Pinxi duntaxat hunc Numen, ut græcum Victoriæ Nomen addisceres.
- III. **PUBLIUS.** Numus pariter tertius adeo peculiare quid in imagine sua non refert, præterquam, quod adstans Imperator in Vexillo, quod sustinet, laureum Sertum exhibeat. Epigraphes autem Elogium vulgare non test, nempe: TRIUMFATOR GENTIUM BARBARARUM. Infra: TR. *eviri*. **TULLIUS.** Pinxi tibi hunc Numen æque ex Medallione *Constantii Augusti* apud Gotham Numar. p. 371. Gentes barbaras, quas vicit, ipse Concione sua ad Legiones edixit apud *Ammianum Marcellinum*, nimirum Sarmatas, Quados, Limigantes, Tirannos quoque varios oppressit, inde aliis Numis *Victor omnium Gentium*, item *Gaudium Populi Romani* prædicatus. Adversus Persas tamen fortuna ejusdem adhæsit.
- IV. **PUBLIUS.** Numus quartus nobilissimo typo est, quem recensere non ausim. **TULLIUS.** *Gordiani Pii* insigne hoc Monumentum æris medii proposuit Cl. *Patinus* p. 293. Vides in eo Pontem, injectum Euphrati, quem transit Imperator, sive ducens in Persas, sive Victor ab eis rediens. Præit eum Victoria cum lauro, sequitur Socer ejus *Mistheus*, Præfectus Prætorio, cum hasta, junctis ante, & retro, figuris aliis duabus. Epigraphæ: FELICITAS AUG, *usq.* Juvenis hic, sed egregius Imperator,

rator, Persas, qui Romæ jam timebantur, eas in angustias redigit, ut ultro in Regnum suum redirent, ac Romanis totum Orientem relinquerent. Eapropter Senatus ipsi Persicum Triumphum, Socero vero, cujus optimo mederamine omnia egerat, Quadrigam equorum, currumque triumphalem, ac *Tutoris Reipublicæ præconium* decrevit. Sed *Philippi Arabis* invidia *Gordianum* hac Gloria, priusquam Romam pertingeret, nefaria trucidatione privavit.

PUBLIUS. Quinto in Numo plane nihil sapio, nisi quod Armeniacam Tiaram, sub qua cubant arcus, & sagitta, in eo videre mihi videar. **TULLIUS.** Bene vidisti. Numus hic in Adversa Caput habet, ac titulos: ANTONIUS AUGUR COS. *ul DES. ignatus ITER. um ET TER. tium.* In Adversa sequitur: IMP. *erator TERTIO III VIR R. cip. C. onstituendæ.* Mirum, ac præter morem Quiritum est, hic scribi *Tertio* pro *Tertium*: qualiter tamen & apud *Golzium* in *Cæsare*, & apud *Ursinum* in *Genete Antonia* p. 28. lego. Quoniam vero uterque mox alterum Denarium paris formæ addit, in quo pro more scriptum IMP. TER. prope subvereor, hunc Numum a me pictum esse sublestum, Tiara porro est *Ardavasdi*, sive *Artabazi*, Armeniæ Regis: quem *Antonius*, a Parthis cæsus, & ad eum profugus, fraude, non Victor, fidei atque gratiæ hospitalis incurius, captivum accepit, Armeniam dilectæ suæ *Cleopatræ* donans. Numum non unum signavit, tanquam hujus Provinciæ Victor, in quibus, omisso ejus nomine, signis tamen suis, arcu, telis, atque tiara, illam descripsit.

PUBLIUS. Quem sexto pinxisti loco, Numus, uni meorum, qui est *Neronis*, consimillimus est, nisi quod *Victoria*, ut hic gradiens, in Scuto, loco vocis *BRITAN. nia*, exhibeat literas S. P. Q. R. *testeram Senatus Populique Romani.* **TULLIUS.** Præsens Numus aris mediæ est *Antonini Pii* apud *Patinum* p. 172. Qui *Pausania* docente, *Brigantibus*, qui in Britannia sunt, quod *Genunios*, Populi Romani Socios, armis lacefferant, magnam agri partem ademitt. Item, *Capitolino* teste, Britannos per *Lollium Urbicum* Legatum vicit, muro cespitio, ut ille ait, submotis barbaris, ducto. Epigraphe hic est: IMPERATOR II. *dum*: Elogio ab altera *Victoria* profecto.

VII. *PUBLIUS.* Iconem sequentem e meo Denario argenteo *Se-*
 Tab. IV. *ptimii Severi* excepisti. Ubi Victoria, pede dextro Scuta hostilia
 n. 7. conculcans, clypeum tenet, arboris trunco impositum, in eoque
 cladem hostium appposito calamo quasi describit. Circum legitur:
 VICTORIA PARTH.ica MAX.ima. *TULLIUS.* Æreum pariter
 hunc Numum *Severi*, item alium, ubi Victoria cum lauro & pal-
 ma stat, eadem cum epigraphe, *Cl. Patinus* exhibuit p. 284. uti
 etiam tertium, cum lemmate: *Victoria Britannica.* Utrobique huic
 Augusto pugnandum, & sane acriter, fuit, atque insigniter vin-
 cere contigit, ut æmulos imperii, *Pescennium*, atque *Albinum*, de-
 jiceret. Primum Parthi, alterum Britanni tuebantur.

VIII. *PUBLIUS.* Tres mihi sunt Numi ærei magni unius *Maximini*
 Tab. IV. Thracis, cum ejusdem capite Laureato. Primum eorum hic pin-
 n. 8. xisti numero octavo: in cujus Aversa bigam agit Victoria, flagello
 equos impellens. Supra lego: VICTORIA GERM.anica. In
 altero Victoria graditur cum lauro, & palma, assidente ad pe-
 des ejus captivo. In tertio stat Imperator dextra extenta, rur-
 sum cum captivo ad pedes: retro Victoria cum palma consistit,
 victorem lauro coronans. Utrobique scribitur integre: *Victoria*
Germanica. *TULLIUS.* Commemorare tibi libet etiam quartum
 ex *Patianis* p. 284. ubi quadrigis Imperator invehitur, æque a
 Victoria, quæ curru retro insilit, coronatus. Circum autem
 residui duntaxat ex Aversa tituli describuntur: P. M. TR. P. II.
 COS. P. P. Vix quidquam Romani gloriosius duxerunt, quam
de Germanis triumphasse: quorum Provinciam Deus Romæ, ut
 metam, posuisse videtur, cum lemmate: *Non plus ultra.* Quin erat
 in fati, ut Romanum Imperium in Germaniam commigraret.

IX. *PUBLIUS.* Perelegans, & singularis videtur Numus nonus,
 Tab. IV. ignotus mihi: ubi Romæ galeatæ, clypeis insidenti, cum Scep-
 n. 9. tro militari, Victoria puerum adducit, qui eidem Coronam lau-
 ream offert. Adscribitur: VICTORIA GOTHICA. Cujus,
 obsecro, Augusti monumentum hoc est? *TULLIUS.* *Constantini*
M. æris medii. Excepi hunc Numum ex *Ill. Spanhemio* Tom. II.
 p. 635. & ibidem Excerptis post *Ammianum Marcellinum* editis il-
 lustratum per hæc verba. „ Gothi per neglectos limites erupe-
 „ runt, & vastata Thracia, & Mœsia, prædas agere caperunt.
 „ Tunc *Constantini* terrore, & impetu repressi, captivos illi, im-
 „ petrata pace, reddiderunt. „ Unus igitur ex captivis reddi-
 tis

tis puer iste, quem in hoc Numo adducit Victoria, censendus est: quod rarum in Numis, dum contra captivos hostes in eis in-
tueri frequentissimum.

PUBLIUS. Quoniam terra, marique, pugnatur, & vincitur, ^{X.}
Navalium quoque Victoriarum elegantia mihi testimonia in sequen- ^{Tab. IV.}
tibus tribus Numis exhibere voluisti. Is, qui numero X. mo est, ^{n. 10.}
Navem habet elegantem, cum remis quatuor, & gubernaculo.
Stat in ea, vel sedet Victoria, cum palma, & lauro, ante Aram,
vel Suggestum Imperatorium. Supra scribitur: *P. ublius GALBA.*
Hunc reor, e cognatione *Galba* Imperatoris fuisse. *TULLIUS.*
Fuit omnino. Etenim areum hunc Numum reperi apud *Ursinum*
in Gente *Sulpicia* p. 267. ex additione *Latini*. Refert in Adversa
Caput Herculis. *P. Galba*, Sacerdotio, & Ædilitia dignitate cla-
rus, Consulatus quoque Competitor fuit cum *Cicerone*. Lusita-
nos magna clade afficiens, etiam Imperator in Castris acclamatus
est. Æquoreo prelio vel tunc, vel alias eum vicisse, hoc Nu-
mo edocemur. In alio ovans quoque bigis invehitur, a Victoria
coronatus.

PUBLIUS. Undecimum pariter Numum esse testem prospe- ^{XI.}
ri certaminis maritimi, navale gubernaculum demonstrat, quod ^{Tab. IV.}
secum fert Victoria, stans ante palmæ ramum excrescentem, & ^{n. 11.}
eidem laurum imponens. Nihil autem hic lego, præter: *DIVI*
F. ilius. Unde hunc Numum *Augusti* esse oportet. *TULLIUS.* Est omni-
no, sed ut adhuc Triumviri. Exstat apud *Ursinum* in Gente *Ju-*
lia p. 138. a *Latino* Adjectus, Navim in Adversa referens, quam
supra legitur: *IMP. erator CÆSAR.* Signat autem Victoriæ Na-
valem, ab ipso vel de *Sexto Pompejo* in Sicilia, vel de *M. Antonio*
apud *Actium* relatam.

PUBLIUS. Clarissime omnium Loquitur Numus XII. in quo ^{XII.}
Victoria proræ navis insistit, cum palma, & ferto prælato, atque ^{Tab. IV.}
Epigraphe disertæ: *VICTORIA NAVALIS.* Victorem te mihi ^{n. 12.}
edicere oportet. *TULLIUS.* *Titi* est ex ære medio apud *Latinum*
p. III. Celebrat vero grandem illius Victoriæ navalem de Ju-
deis, capta *Tiberiade*, ad Lacum *Genesareth*, classe hostium pe-
nitus contrita. Quocirca cecinit *Apollonius*, quasi hunc Numum
exponens:

Romanæ plausit volitans Victoria Classi.

Flav. quoque *Josephus* testatus est, in *Vespasiani* Patris, *Titique* filii Triumpho de *Judeis*, etiam *Rostram Navium* portata esse a *Militibus*. Cæterum *Titus* etiam *Germanos* aliquando ad *Rhenum* navibus vicit.

- XIII. *PUBLIUS*. Sanctiora succedentibus duobus in Numis lætus intueor *Victoriæ* monumenta. *TULLIUS*. Æquum est sane, ut etiam veræ *Religioni* locum aliquem concedamus. Selegi tibi ambos hos Numos argenteos, nequaquam vulgares ex *Gotha* Tab. IV. Numaria p. 268. & sequenti. Primus *Crucem* sinit *salvificam*, n. 13. tribus gradibus elatam. Circum legitur: *VICTORIA AUGUSTI*. Infra scribitur: *CON. Constantinopoli OB. signata*. In Adversa est *Protome Tiberii Alismari* coronati, & clypeum, hastamque gerentis. *Victoriam* non unam, quas omnes *Christo* in *Cruce* *Victori*, & per *virtutem S. Crucis* gratias omnes largienti rectissime adscripsit, cum retulisse, *Cedrenus* ita prædicat. „ *Romani* (quales tum adhuc *Constantinopolitani* prædicabantur) sub eo *Syriam* ad *Samosata* usque pervagati, vicinasque populati *Regiones*, ad millia, ut fertur, ducenta *Arabum* interfecerunt, spoliisque, & præda amplissima potiti, magno sui metu excitato, reverterunt. „ Ita *interpres*. Alibi etiam, *Tiberii* hujus auspicio, per *Fratrem Heraclium* res prosperrime gestæ sunt: ut non vano proinde *Victoriæ* præconio gloriaretur. Ponitur ejus imperium ad *Ann. Chr. 698*. Mors violenta ad *Ann. 705*.
- XIV. *PUBLIUS*. Numum alterum, imaginibus, ac verbis, non paulo plenior, ego aggredi minime ausim, græcum insuper, literisque parum formosis, & inæqualibus, ambiguum. *TULLIUS*. Tab. IV. *Crucem* denuo vides, gradibus quatuor elatam, bis vero immis- n. 14. sam, & radiatam, cum *Luna* in medio stipitis. Hinc & inde apparent *Capita* duo, græco more coronata, *Basili II. & Constantini VII.*mi Fratrum *Coaugustorum* *An. 1013*. *Epigraphe* Græco-barbara, literis latinis interpolata, sic habet: EN TOY NICA-TE BASILEI E CON. Id est: In hoc (nimirum salutifero *Crucis* Signo) vincite, *Basili, & Constantine*. *PUBLIUS*. Pictis his, & expositis religiosissimis Numis me plus, quam omnibus anterioribus *Victoriarum* typis, recreasti.

DIALOGUS XII.

Trophea, & Spolia Opima in
Numis.

TULLIUS.

A *Victoriis ad Lucra earum aptissimo nexu transgredimur: I.*
 quorum primum sunt *Præda*, & *Spolia*, ex hostibus de-
 tracta. Et *Aes* quidem omne, quod ex *Prædis* provenie-
 bat, sive *Peculum*, rude, pariter, ac signatum, Res-
 publica sibi vendicabat, debuitque in *Ærarium* *Questoris*, quod
 erat in *Castris*, inferri. Id, quod initio, ut *Livius* ait, *non fie-* Libr. V.
bat sine magna Militum ira, quorum sudore, ac sanguine, census c. 26.
 hic steterat. Reliqua omnia, quæcunque cesserunt in *spolium*,
 illius erant *Imperatoris*, qui *vicit*. Pars nonnulla eorum semper
 alicui *Deorum* cessit: cum nemo, absque hoc voto nuncupato,
 in bellum procederet. Quocirca etiam *Romæ* peculiare *Tem-*
plum erat, *Jovi Prædatori* consecratum. Cætera vendebantur in
Castris, pecunia ad *Imperatorem* relata. Dum autem quidam,
 ut amplius de *Republica*, cumque gloria majori mererentur,
 venditarum etiam rerum pretia in *Ærarium* conferrent: post pau-
 lo hæc *Munificentia* transiit in debitum, eamque omittentibus
 famam sinistram parturiiit. Dicebantur hæc prætia *spoliorum* pro-
 prio *Nomine Manubiæ*: e quibus *Opera publica* in usum commu-
 nem parari solebant, uti *Ædes*, *Templa*, *Via*, aliaque hujus-
 modi: quæ sæpe titulum: *Ex Manubiis*: in fronte præferebant.
Militibus, extra *Præmia honoris*, de quibus postea, e *Prædis*
 aliud nihil proveniebat, nisi quod benevolentia *Imperatoris* quan-
 doque eisdem indulisit. *Publica Urbis* alicujus direptio concessa
 rari exempli erat.

Cæterum *Spoliorum* pars aliqua semper adhibita fuit ad con- II.
 struenda *Trophea*. Nam *Triumpho*, domi deinceps agendo,
 præludebatur in *Castris*, tum jucundis acclamationibus, tum igni-
 bus

bus festivis, tum nexis, sparsisque laureis coronis, cumprimis vero Trophæorum erectione. Cædebantur in hanc rem Arbores, Oleæ maxime, Lauri, vel Palmæ, vel pro loci opportunitate etiam Quercus, Fagi, aut Pinus: e quibus, ramis præcisiss, trunci fiebant. His, profunde in terram defossis, omnis generis arma, & vestes hostium suspendebantur. Addebantur Tituli, ubi Deus aliquis Imperatoris Nomen, Victoriæ modus, & ratio legebantur. Quæ moles triumphales figura, & pompa sua, militibus gaudium, animosque majores excitarent, hostibus metum incuterent, rei que bene gestæ memoriam diutius conservarent. Formam, optime discas ex *Virgilio*, Trophæum ab *Ænea*, occiso *Mezentio* erectum, ita decantante.

Aen. L.
XI.

Ingentem Quercum, decisis undique ramis,
Constituit tumulo, fulgentiaque induit Arma,
Mezentî Ducis exuvias, tibi Magne Tropeum
Bellipotens. Aptat rorantes sanguine cristas,
Telaque trunca Viri, & bis sex Thoraca petitem,
Perfossumque locis, Clypeumque ex ære sinistrae
Subligat, atque ensẽ collo suspendit eburnum.

III. Convenit hic porro, de *Jul. Casare* Dictatore ex *Dione* commemorare, eum, dum *Pharnacem* Armenium, qui paulo ante Legatum ipsius clade affecerat, eadem die, qua venit, etiam vicisset, hac Victoriâ, ob summam ejus celeritatem, præ aliis longe clarioribus lætatum, Spolia omnia Militibus permisisse. Quoniam vero in loco Victoriæ adhuc stabat *Pharnacis* Trophæum, quod Marti posuerat: *Casar*, ob Dei reverentiam, hoc permissio, Trophæum suum ex opposito statuit, ut *Romani Nominis contumeliam, non invito Deo, deleret*. Neque indigna est, quam observemus, *Plutarchi* percontatio de causa, Trophæa ex ligno construendi. „ Cur (inquit) inter ea, quæ *Diis* consecrantur, lege „ permissum est, ut sola *Spolia* sinantur tempore corrumpi, aut „ aboleri, neque licet ea reparare, aut instaurare? An, quod, „ cum tempus *Signa Contentionum*, cum hostibus habitarum, „ obscuret, odiosum est, & nimii discordiarum studii, ea reficere, atque innovare? Nam apud Græcos parum laudis adepti „ sunt,

Quæsti-
on. Ro-
manar.
36.

„ sunt, qui primi *Lapidea*, aut *Aerea* statuerunt *Tropea*. „ Ho-
rum imitatione quosdam Romanorum egisse, consimiliter *Florus*
improbavit, ajens. „ Quod & *Domit. Anobarbus*, & *Fabius Ma-*
„ *ximus* agentes, ipsis, quibus dimicaverant, in locis, faxeas
„ erexere turres, & desuper armis exornata hostilibus *Tropea* fi-
„ xere: quum hic mos inusitatus fuerit nostris. Nunquam enim
„ *Populus Romanus* hostibus domitis *Victoriam* exprobravit. „

Libr. III
2. 6.

PUBLIUS. Pulchrum est hoc remittendarum inimicitiarum
documentum: a quo tamen Roma posterior prope tota recessisse
videtur. Quid enim erat, infinitos quodammodo in Numos tot
quotidie *Trophea* inferre, nisi perituram cum ligneis colossis me-
moriam contentionum, auri, argenti, ærisve diuturnitate, velut
æternam reddere, hostibusque subactis *Victoriam* perpetuo ex-
probrare? *TULLIUS*. Non constitit hic *Quiritum* vanitas: etiam
alia omnia, quæcunque apud eos ornabantur, *Statuæ*, *Arcus*
triumphales, *Theatra*, *Palatia*, *Fora publica*, *Tropheis* opple-
bantur. Sic semper *Mundus*, ratione duce, aliter quidem sentit,
& melius: passione vero in transversum abreptus, aliter, atque
deterius agit. Ad Numos jam accedamus.

IV.

PUBLIUS. *Tabulæ tuæ IV. tæ Numus XV. tus Tropheo* quidem
notus est mihi: *Personæ* vero quatuor, & *PAULLUS* hic subscrip-
tus, me undique fugiunt. *TULLIUS*. Prædicatur hoc *Denario*
Gloria Luc. Æmilii Paulli: qui *Marc. Æmilii Lepidi* frater fuit. Vi-
cit *Hispanos*, *Ligures*, & cumprimis *Macedones*: quorum *Rex*
Perseus, perinfidus Romanis, contritus in acie, & profugus qui-
dem, post paulo tamen se, unacum filiis tribus, ultro tradere
debuit, Romanis transmissus, ac, triumphante *Paullo*, in cate-
nis ante currum *Victoris* per *Urbem* circumductus. Ille igitur,
qui hoc in Numo ad lavam super suggestum stat, atque *Tropheum*
attingit, est *Victor Paullus*, post quem unus *Filiorum* ejus,
ut putatur, gloriæ particeps, consistit. Ex adverso miser *Perseus*
nudus, revinctis post terga manibus adstat. Qui pari habitu con-
sistet, *Bitis* esse creditur, filius *Cothyos* *Thraciæ* Regis, cæteros
inter obsides datus. Ita hunc Numum exposuit, qui eum, cum
aliis duobus ejusdem argumenti, sed alterius formæ, protulit *III.*
Spanhemius II. p. 22. *PUBLIUS*. Quam vel hic miser devi-
etorum aspectus! quis fuerit, Regum cumprimis, actu sub cate-
nis gementium?

V.

Tab. IV.
n. 15.

VI. *TULL.* De Numo XVI.^{to} quid cogitas? *PUBL.* Æque ad illum ad-
 Tab. IV. hareo. *TULL.* Urfinianus hic Denarius p. 27. rursus est *M. Antonii*
 n. 16. Triumviri, ejusque jactatam potius, quam relatam, de Parthis, & Ar-
 menis Victoriā spectat: de qua jam supra tibi dixeram. Tropheum
 vides, armis Parthici, & Armeniaci moris adornatum: cujusmo-
 di sunt, in summo tiara, dependentibus filis, securis hamata,
 ensis brevis transversus post medium thoracis, Scuta cumprimis,
 peregrino cultu ornata. Pone scribitur: IMP. TER. *tium* Stu-
 diose in hujusmodi triumphalibus Numis armorum forma confide-
 randa est, quoties Provinciæ devictæ Nomen adscribitur: ut etiam,
 quando id abest, e spoliis intelligas, qualem ea Victoriā pro-
 dant. *PUBLIUS.* Lynceum igitur hi Numi oculum postulant,
 & nisi probe sint conservati, facillime fallere possunt.

VII. *TULLIUS.* Ne toties in rebus ignotis verecunderis, Consu-
 Tab. IV. lares Numos ipse dein recensebo. Septimus decimus Tropheo
 n. 17. superbit, spoliis admodum divite, cum epigraphe: *P. ublius*
CARISIUS LEG. atus PRO PR. atore. Adversa Numi apud *Ar-*
sinum p. 63. Caput *Augusti*, ac titulos refert. Ab hoc enim *Cari-*
sius missus, de Cantabris, & Asturibus, Victoriā cum spoliis re-
 tulit. Singulares porro sunt Numi duo insequentes: quos vero
 ut intelligas, tribus verbis commonefaciendus es mihi eorum, quæ
 in Exercit. Proæm. Dial. XIII. n. 13. de *Spoliis Opimis* tibi sugges-
 feram.

VIII. *PUBLIUS.* Recordor probe, inter omnia Spolia, ex hostibus
 relata, illustriora nulla Romæ habita esse, quam arma illa, quæ
 Dux ipse Supremus, auspicio suo pugnans, non ab alio missus,
 supremo pariter hostium Duci, manu sua occiso, detraxit. Vo-
 cabantur hæc Spolia nomine peculiari *Opima*, forte, quod om-
 nium plerumque splendidissima, atque ditissima, & maxime su-
 perba. Qui eadem retulit, postea, cum Romæ triumpharet, in
 quadrigis triumphalibus ipse sustentavit, Urbique toti spectanda
 exhibuit. Acto deinde triumpho, eadem Jovi, abinde *Feretrio*
 dicto, lætus in Capitolio consecravit. Tertium, non pluries,
 ejusmodi decus Roma, quousque ipsa floruit, intuebatur. Pri-
 mus omnium *Romulus* hoc eam spectaculo recreavit, occiso a se
Acronæ Cœninentium Rege.

IX. *TULLIUS.* Duos alios consimiles post eum Victores insequen-
 Tab. IV. tibus duobus in Numis aspicias. Prior Statuam Equestrem tibi ex-
 n. 18. hibet,

hibet, *Opimo* cum Tropheo in dextra, & epigraphæ circum:
 COSSUS CN. ei F. *ilius* LENTULUS. Adversa capite nitet *Augusti* apud *Ursinum* in Gente *Cornelia* p. 92. Adversam pariter exhibuit Ill. *Spanhemius* ll. p. 225. Vicit *Cossus* *Veientes*, horumque Regem *Partem Tolumnium*, ut apud *Livium* legitur, vel *Volumnium Hetruscum*, quod habet *Plutarchus*, manu sua interemit. Hinc *Livius* de eodem: „ Longe maximum Triumphi spectaculum fuit Lib. IV.
 „ *Cossus*, *Spolia Opima* Regis interfecti gerens. - - - Spolium c. 10.
 „ *Æde Jovis Feretrii*, prope *Romuli* *Spolia*, quæ *Opima* appellata,
 „ sola ea tempestate erant, cum solemnî dedicatione, dono fixit. „
 Porro *Augustus*, post aliquot *Secula* Templum illud reficiens, *Spolia* ista, interim ablata, magna cum Religione eundem in locum restituit. Quapropter hic *Numus*, in utriusque memoriam, ab aliquo Gentis *Corneliæ* confici curabatur.

Numus XIX. nus, cujus Adversa Caput nudum habet, cum X.
 Nomine MARCELLINUS, ac Triquetro, sive Tricrura, *Siciliæ* symbolo, in Adversa Templum apertum *Jovis Veretrii* sistit, Tab. IV
 columnis quatuor suffultum, & in eo Victorem, *Spolia Opima* super feretrum, i. e. basin quadratam, velut *Aram*, reponere incipientem. Fastigio templi inscriptum: VIC. toriæ S. acrum: ut n. 19.
 ego interim lego. Hinc & inde columnatim scribitur: MARCELLUS COS. ul. QUINQ. uies. Dicebatur *Marc. Claud. Marcellus*, Gentis *Claudiæ* singulare Decus: vicit, manuque sua occidit *Viridomarum*, *Insubrum Gallorum* Regem, a quo ex insidiis præter opinionem cum exercitu occupabatur. Unde tertius, & ultimus cum *Spoliis Opimis* triumphavit.

PUBLIUS. Qui superest hujus Tabulæ *Numus*, nunquid navale refert Tropheum? XI.
TULLIUS. Certe videri sic possit. Sed Tab. IV.
 ex mente *Ursini*, qui hunc *Denarium* pinxit in Gente *Sulpicia* n. 20.
 p. 267. Apparatus est potius *Maritimi Trajectus* in *Macedoniam*, quem *SERGIVS Sulpicius* Consul, hic subscriptus, cum *C. Aurel. Cotta* fecit. Navalem hanc Expeditionem indicant, *Malus*, cum velo complicato in apice, remus, & anchora, quæ inde pendent, infra vero *Rostrum Navis*. Eo porro in Regno *Sulpicius* fines *Dassaretiorum*, optimam *Provinciae* partem, populatus, cum *Philippo* Rege scribitur congressus, eumque vicisse, atque fugasse. In cujus rei monumentum hinc & inde in hoc

Numo captivi adstant, manibus revinctis: ut adeo Denarius iste Tropheis haud immerito accenseatur.

XII.
Tab. V.
n. I.

PUBLIUS. Est mihi æreus medius *Trajani* Numus, in quo *Victoria* Tropheum coronat, cum formula votiva: *S. P. Q. R. Optimo Principi.* Tu vero Tabulam tuam *Vitam* inchoasti alio, sed meo pariter, æreo medio Numo: in quo stat Imperator gemina inter Trophea, quæ ambo ipsemet sustinet. Circum lego: *SENATUS POPULUSQUE ROMANUS:* cum in *Adversa* elogium: *Optimo Principi,* jam præcesserit. Tot in ære *Trajani* signata esse Trophea, non miror: cum Roma majorem vix ullum ex omnibus *Augustis* Victorem habuerit. Tot enim *Provincias* continenti triumpho, ac deditioe, eidem asseruit, quot illa retinere se posse diffidebat, & ideo nonnullas ultro dimisit. *TULLIUS.* Præfens Numus ob indumenta barbara, in tropheis conspicua, *Dacicas* ejus *Victorias* peculiariter designare videtur: quibus, propter *Deceballi,* potentissimi *Dacorum* Regis astutiam, ac pertinaciam, præ cæteris gloriabatur. Quamquam non desint ejusdem Numi, *Daciam* captam liquido enunciantes: qualem post paulo intuebimur.

DIALOGUS XIII.

Provincia Devictæ, Captæque in
Numis.

TULLIUS.

- I. **A**ltera *Lucri,* e *Victoriis* profecti species, longe clarior, & exoptabilior, erant *Provincia devictæ, captæque.* Sic in *Cæsaris* Numis supra *Crocodilum* legitur: *Ægypto captæ.* In *Augusti* Numis *Armeno* mitrato stanti adscribitur: *Armen. Recepta:* & alteri flectenti: *Arme. captæ.* *Victoria* supra cippum consistenti, juxta quem duo serpentes in altum se torquent, additur: *Asia Recepta.* Hujusmodi tituli, & nomina, ære circum-
- la-

lata, reliquum orbem terrore tanto majori compleverunt, quanto Populi, qui debellati deprædicabantur, grandiores, ac fortiores exstiterant. Nolim tamen, hæc superba Numorum, licet brevissima lemmata, rigida semper interpretatione accipias. Non, quicumque aliquando vincitur, ita statim cogitur sub jugum, ut excutere illud postea neque audeat, neque valeat. Ipsa Numorum frequentia, qui eandem Provinciam diversis ab Augustis debellatam clamant, argumento utique certissimo est, clades quidem eam pertulisse, ut varius est eventus belli: iisdem tamen fractam non esse. Sic præmunitus, ad Numos accede.

PUBLIUS. Secundus Tabulæ tuæ V. tæ Numus, ac Denarius, mei cimelii est, illi similis, de quo jam *Dial. V. n. 4.* differuimus. In Adversa circum caput Romæ, pariter legitur: M. PUBLICI. us LEG. atus PROOPPR. atore: abest autem laurus. Aversa fœminam sistit, quæ clypeum tergo, & sagittas lava gestat: dextra vero Imperatori, dextro pede intra navim consistenti, palmam obtulit. Per oram lævam scribitur: CN. eius MAGNUS IMP. erator: scil. *Pompejus.* Infra: HISPANIA: quod rursam in supra laudato Numo deest, ut adeo hic novi denuo modulo sit: cum & Aquila Legionaris hic deficiat. **TULLIUS.** Diversus modulus, maxime a celebribus Antiquariis nondum propositus, Numo alias noto, peculiarem prærogativam conciliat, tanto igitur charior habendus. Quo deinde vestis cultu, armorum forma, vel alio symbolo adjecto, Provincia quæpiam, cujus Nomen expressum, proposita sit, studiose observandum, ut eadem, etiam Nomine desiderato, ab alia internoscatur.

PUBLIUS. Numus III. Fœminam tristem sedentem habet, cum vitta altiori, Tropheo post eam erecto. Epigraphe est: GAUDIUM ROMANORUM. Infra scribitur: FRANCIA. Devictam hanc esse Provinciam, diserte quidem hic non legitur: sed mœstus fœminæ, humi residentis habitus, atque Tropheum, disertius verbis, ejus factum eloquuntur, luctu ejus, & Romanorum Gaudio, juxta se positus, ut amplius elucescerent. **TULLIUS.** Pinxit hunc Numum *Constantini M. Ill. Spanhemius II. p. 638.* consimilem ei addens, ubi subscriptum: ALAMANNIA. Porro apud Erudit. *Liebe Goth. Num. p. 445.* tertius aureus æque *Constantinianus* pingitur, in quo duæ Fœminæ tropheo affident, & infra legitur: *Franc. & Alam.* Epigraphe circum in omnibus eadem.

II.
Tab. V.
n. 2.

III.
Tab. V.
n. 3.

IV. *PUBLIUS.* Mihi Numus argenteus est, a te neglectus, cum capite nudo in Adversa, & additis titulis: JULIUS CÆSAR. DICT. *atori* PERPETVO. Adversa cumulum habet Armorum, in quo thorax, galeæ, clypei, hastæ, vexilla, clava, remusque navalis: quæ inter confidet fœmina vinctæ, & lugens, desuper stante Victoria, cum lauro, & palma. Infra scribitur: GALLIA. Circum: CONSENSV. SENAT. *us* ET EQV. *estris* ORDIN. *is* P. *opuli* Q. *uc* R. *omani* Quid pulchrius? *TULLIUS.* Adde: ad fallendum. Reperi quidem hunc Numum etiam aureum in Manuscripto quodam Catalogo Cimelii cujusdam venalis, mecum communicato. Neque tamen, vel apud *Golzium*, vel *Aeneam Vicum*, vel *Vrsinum*, vel *Mediobarbum*, aut alium quemlibet, tot inter *Cæsaris* Numos, aut hunc inveni, aut alterum latinum, eo vivente cufum, ubi Nomen *Julius* legeretur: quamvis in Græcis Numis id occurrat. A morte ejusdem signati, habent *Divos Julius*: nulli vero additur *Cæsar*. Præterea in uno alterove reperies: Ex *S. enatus* C. *onsulto*: sed *Ordinis Equestris*, *Populique Romani* altissimum silentium. Sublestum igitur hunc Numum habe: qui & fufus est, & argenti omnino impuri.

V. *PUBLIUS.* Adeo facile tironibus imponitur. Quartum igitur ad Numum tuum progredior: in quo sedet vir senex, & seminudus, dextra proram navis tenens, læva juncum, qua & urnæ aquariæ, aquam profundenti, incumbit. Fluvius certe, ferendis navibus par, & ut auguror ex epigraphe, Germanicus, nempe Rhenus hic sistitur. Lego namque: ALEMANIA SVBACTA. Pone figuram sunt: S. C. Infra ex titulis residuum: IMP. VI. COS. III. *tium.* *TULLIUS.* Hunc *M. Aurelii* Numum æris medii, cum quinque aliis ejusdem, Victoriæ similiter Germanicam prædicantibus, junctim proposuit *Cl. Patinus* Imp. p. 187. In omnibus fere Provinciam videas lugentem, juncto Trophæo: unus vero intra Sertum laureum incipitur: VICT. *oria* GERM. *anica*: sive VICT. *is* GERM. *anis* *PUBLIUS.* Aequior hæc epigraphe, quam superior. Est & mihi æreus medius *M. Aurelii*, ubi Trophæo barbaro hinc affidet Provincia mœrens, inde seminudus captivus alligatus est, cum residuis ex Adversa titulis: GERMANICO AUG. IMP. VI. COS. III. Teneo vero etiam parvum *Commodi* filii Numum: in quo pone Trophæum duo sunt captivi alligati, & subscribitur: VICT. GERM. Alium item par-

parvum *Probi Augusti*, consimili imagine, sed cum epigraphe: VICTORIA GERMANICA. Viribus toties resumptis, quas a tot Augustis reprimi oportuit, Germania certe *subacta* non fuit.

Numus tuus V. Victoriæ stantem sistit: quæ dextra palmam effert, læva trophæum sustinet, & accumbentem captivum pede conculcat, cum epigraphe: SARMATIA DEVICTA. Infra scribitur: SIRM. *ic.* TULLIUS. Denuo hic Numus est *Constantini M.* apud Ill. *Spanhemium* p. 638. Alios tres cum eodem lemmate, sed moduli diversi, vulgavit Cl. *Patinus* p. 372. 73. 75. quorum duo æque sunt Patris, tertius *Crispi* filii. PUBLIUS. Mihi quoque ad manum sunt, tum argenteus, tum æreus parvus, cum capite *Constantini M.* laureato in Adversa. In Aversa vero Victoria, palmam quidem tenens, trophæum tamen haud sustinet, sed inter arma humi dispersa consistens, captivum proterit. Lemma est, ut supra. TULLIUS. Quemadmodum *Sarmatia*, in Europeam, quæ hodie *Moscovia* est, & Asiaticam divisa, multis populis barbaris constabat: ita cum Romanis jam hæc, jam illa gens, nunc datis, nunc acceptis cladibus, congressa, complurium Augustorum Numis copiam fecit, de eadem devicta gloriandi.

PUBLIUS. Perbellus est Sextus Numus, indubie *Trajani*: ubi laureatus Imperator altæ insidens rupi, & Aquilam Legionarem lævo brachio sustinens, deutra extenta Signum barbarum accipit a fœmina, in quo caput cœninum eminent. Puer præterea caput resectum, quasi exultans, conculcat. Circum, & infra legitur: DACIA AUGUSTI PROVINCIA. Facile mihi persuadeo, Signum caninum esse Dacicum, & caput abscissum spectare *Decabalum* Daciæ Regem. TULLIUS. Probe conjicis. Rex iste crebris motibus, ac fraudibus, Romanam potentiam, jam irritam, jam placatam, diu sane vexando ludit, sedem suam, ubi hodie *Transylvania* est, obtinens. Tandem vero a *Trajano* eas in angustias reductus fuit, ut ipse sibi mortem inferret. Pulchrum hunc Numum ex *Patino* Impp. p. 138. tibi selegi, una cum sequenti. PUBLIUS. Ego geminos teneo argenteos *Trajani* Numos: in quorum uno Dacus quidam victus inter arma stat. In altero fœmina mœrens trophæo assidet. Circum ubique: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Infra: DAC. CAP. *ta.* TULLIUS. *Mediobarbum* si adieris, paginam integram recensu Numorum solius Daciæ captæ oppletam reperies. Nempe, quo fortior hostis, tanto clarior, chariorque Triumphus.

VI.

Tab. V.
n. 5.

VII.

Tab. V.
n. 6.

- VIII. *PUBLIUS*. Proximus Numus fœminam redhibet stantem cum calamo aliquo, aut virga, quæ dextra demissa florum, ut puto, fasciculum gerit: ad pedes ejus Camelum intueor. Circum: S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. Infra: ARAB. *ia* ADQUIS. *ita*.
- Tab. V. n. 7. *TULLIUS*. Illustravit hunc Numum, qui eum protulit, Cl. *Latinus* ex *Ammian. Marcellino* ajente: „ *Arabiam*, Provinciæ imposito „ Nomine, Rectoreque attributo, obtemperare legibus nostris „ compulit *Trajanus* Imperator, incolarum tumore sæpe contuso, „ cum glorioso Marte Medos urgeret, & Parthos. „ Hanc ergo Provinciam fœmina denotat: quæ sinistro brachio calamum thuris gerit, & in dextra ramum ejusdem florentem. Camelorum apud Arabes copia, equorum ibidem obsequia præstat.
- IX. *PUBLIUS*. Numus Octavus Imperatorem laureatum stantem refert, cum parazonio, ut volunt, & hasta: ad pedes ejus hinc, & inde, tres figuræ recumbunt, quarum unam pede sinistro proculcat. Epigraphe: ARMEN. *ia* ET MESOPOT. *amia* IN POT. *estatem* P. *opuli* R. *omani* RED. *actæ*. An recte legi? *TULLIUS*. Ex affe. Suppeditavit mihi hunc æreum Numum formæ magnæ, quippe rursus *Trajanus* est, celeberrimus *Vaillantius* in *Arsacidarum*, i. e. *Parthor. Regg. Historia* p. 312. satis quidem rudi scalpulo expressum. Figuras, dextram, lævamque anteriorem, geminos ille fluvios interpretatur, quibus *Mesopotamia* contricta est, *Tigrim* scilicet, & *Euphratem*. Tertiam autem, quæ retro mærens recumbit, pro *Armenia* habet.
- X. *PUBLIUS*. Nonus, quem pinxisti, Numus inter principes mei Cimelii est, argenteus magnus, cum capite *Titi* Imperatoris. Aversa in medio Palmam arborem habet, tam Provinciæ, quam *Victoriæ* signum, cui assidet fœmina tristis inter arma projecta: a tergo instat *Victor Romanus*, pone quem denuo clypeus, & hasta. Circum: JUDÆA CAP. *ia*. Par mihi est Numus æreus, infra cum S. C. & voce *Capta* integre scripta. *TULLIUS*. Hæc extrema, & a Salvatore ob sui occisionem prædicta *Judeæ* calamitas, tanquam præcipuum *Gloriæ Romanæ* argumentum, plurimis Numis in omni Metallo consignata fuit, nunc cum *Vespasiani* Patris, nunc cum *Titi*, immo & *Domitiani* filiorum ejus capitibus, alio semper, & alio imaginum situ, item epigraphe varia. Cum enim *Vespasianus* *Judeam* omnem, extra *Hierosolymas*, occupasset, scribebatur: *Judea devicta*. Urbe etiam ista per *Titum*,
tunc

tunc adhuc Cæsarem, obtenta, legebatur: *Judea capta*. Nonnulli numi sola Palma, quam exhibent, absque lemmate hanc rem edicunt.

PUBLIUS. Mirus est mihi, ac peregrinus undique Numus X. mus, cum Viro flectente, qui ramum frondentem dextra præferens, Camelum secum adducit. Infra lego: **BACCHIUS**: ad latus, ascendente linea: **JUDÆUS**. An & hic excisæ Jerosolymæ aliqua pars erat? **TULLIUS.** Nihil in hoc es. Numum hunc tibi selegi ex *Ursino* in Gente *Plautia* p. 212. quem & Ill. *spanhemius* repetiit II. p. 226. Refert in *Adversa* caput fœminæ turritum, forsitan Arabiæ Genium, cum epigraphæ. *A.ulus* **PLAUTIUS AED. ilis** **CUR. ulis** S. C. In *Aversa* *Bacchius*, cujus nullam alias noticiam præbent Scriprores. Numi hujus beneficio demonstratur ceu *Regulus Arabiæ*, ab *Aulo Plautio*, Legato Pompeji in Asia, in obsequium Populi Romani adactus. Quemadmodum eodem fere tempore *Æmilius Scaurus*, Regem quoque *Aretam*, pariter Arabem, ad simile officium coëgit, quod alio Numo expressum est. Tendit ille de genu manus ad pacem, oleam præferens, proque tessera sua, qua prodat conditionem, ac patriam, Camelum adducit.

PUBLIUS. Subsequens Numus rursum supplicem sistit Virum aliquem Parthum, ut ex vitta capitis acuta, quasi tiara, ominor, uno genū flexum, & utraque manu Signum, seu Vexillum Romanum, tenentem, in cujus apice Aquila Legionaris coruscat. Circum legitur: **CÆSAR AUGUSTUS**. Infra: **SIGN. nis** **RECE. ptis**. **TULLIUS.** Numum Hunc ut intelligas, etiam proximum recensere. **PUBLIUS.** Cerno in eodem Arcum triumphalem, tribus fornicibus apertum, tribusque gradibus elevatum: in cujus apice Quadriga eminent, cum triumphante, hinc & inde adstante Victoria. Epigraphæ: **CIVIB. us** **ET SIGN. nis** **MILITAR. ibus** **A PARTH. is** **RECEPT. is**. **TULLIUS.** Optime legisti. Ambos hos Numos argenteos ex *Vaillantio* tibi pinxi. Signa præsentia, cum plurimis millibus captivorum, gemina gravissima clade amiserunt, *M. Licinius Crassus*, item *M. Antonius Triumvir*: obtinuit vero *Tiberius* a *Pbrabate* Parthorum Rege, metu duntaxat, non armis, & *Augusto* reddidit. Qui eapropter non secus, ac de amplissima Victoria lætatus est, tantamque, ut reputabat, fortunam quam plurimis Numis celebravit.

XI.
Tab. V.
n. 10.

XII.
Tab. V.
n. 11.

item 12.

Histor.
Arsac. p.
176.

XIII.

Teneo semel, ac iterum, Æris medii Numum, in cuius Adversa Victor quadrigis equorum triumphalibus, Aquilam gestans, insistit, adscripto Nomine: GERMANICUS CÆSAR. In Aversa idem adstat extenta dextra, rursusque Legionarem Aquilam tenet. Pone illum lego: SIGNIS RECEPTIS. DEVICTIS GERM. *anis.* TULLIUS. Alia hæc, atque posterior Aquilarum Romanarum jactura fuit, quam *Quinctilius Varus* ab *Arminio* Germano perpeffus fuit, cum tanto, ut fertur, pudore, ac luctu *Augusti*, ut caput impingens parieti, clamaret: *Vare, redde Legiones!* Reparavit hoc damnum *Germanicus Cæsar*, sed pugna cruenta, & Aquilas receptas, non *Augusto* jam defuncto, sed Successori *Tiberio* restituit.

DIALOGUS XIV.

De Numis Elogia Victorum docentibus.

TULLIUS.

I. **Q**Uorum sudoribus magna Lucra debemus, iis merito Laudem rependimus. Non defuit huic Muneri suo Republica Romana, quæ omnium Sapientissima cenferi voluit, dum, feliciter confectis bellis, metu, & vexatione soluta, claritudine Victoriarum Famam, & Provinciarum novarum accessione Potentiam suam auctam fuisse, jucunda conspiceret. Accumulavit bene merentibus *Elogia*, ut ex Meritis eorum, semper idcirco majoribus, perpetuum ipsa faceret Lucrum. Princeps hæc inter Præconium erat *Imperatoris*: usquedum illud a Cæsaribus in Supremæ Potestatis Nomen conversum, nulli deinceps inferiorum ulterius indulgeretur. Acclamarunt hoc Nomen Victori Duci Milites in Castris, vicissim ab ipso frequenter officio mutuo pro Concione laudati, ut *Commilitones*, qui rem pro Republica præclare, fortiterque gessissent. Ut porro Ducibus præstan

stantioribus, prolixo, vel instaurato frequentius bello, sapius vincere contigit: ita & Nomen Imperatoris, quoties erat *justa Victoria*, i. e. satis ingens numerus caesorum, eidem iterum, iterumque acclamatum fuit. Quo deinde, adjecto acclamationum numero, illi perpetuo gloriarī licuit, ubivis locorum, & in omnibus, quibus Nomen suum indidit, Monumentis. Quin & feri ejusdem Nepotes hac Gloria, etiam post Secula, nemine ventante, publica in Moneta gestire potuerant, eamque aternitati auro & argento transcribere. Copiose id haecenus vidisti. Placuit attamen mihi, hoc pariter loco caeteris *Victorum Elogiis* hujus quoque Praeconii novum exemplum Tabulae V. n. XIII, tibi ob oculos ponere.

PUBLIUS, Tropheum is refert, cui captivus genuflexus accumbit: utroque ex latere scribitur linea descendente: C. *ajus* Tab. V. MEMMIUS IMPERATOR. Idem forsitan hic est, quem olim n. 13.

Exercit. Praem. Dial. XXI. tanquam *Aedilem*, qui *Cerialia Primus fecerit*, alio ex Numo mihi laudasti. **TULLIUS** Plane is est: unde & in hoc Denario apud *Ursinum* in Gente *Memmia* p. 172. Adversa capite Cereis nitet. Elogium *Imperatoris* promeritus esse videtur, quando cum *L. Domitio* Praetor factus, *Bithyniam* provinciam obtinuit: ut ex *Cicerone* liquet, contra eum, dum repetundarum accusaretur, pro *Bithynis* declamante. In quos autem tunc hostes cum *Victoria* depugnaverit, ut arma eorum ex tropheo praesenti suspendere liceret, haud adeo constat. Nos ad *Victorum Augustorum Elogia* accedamus: quae eisdem, ab *Aureliani* temporibus, in Numis perpetuo tributa sunt, omisso praconio: *Imp. III. IV. Sc.* quod anteriores *Caesares* acceperunt diligenter, sibi quoque solis reservarunt.

PUBLIUS. Primum Elogium observasti in aereo parvo, & meo: III. ubi Adversam exornat *Protome galeata Probi Augusti*, clypeum, Tab. V. ac hastam gerentis, cum *Epigraphe* prorsus eadem, quae hic in n. 14. Adversa est circum equitem Imperatorem, qui hostem abjecto clypeo prostratum, *hastam* intorta penitus conficit, nempe: VIR-TUS PROBI INVICTI AUGUSTI. Infra: XXI. I. A. quod innuit, hunc Numum fuisse *Vicesimam* partem *Assis*, & *Antiochiae* in *Officina prima* signatum. Vehementer autem admiror, utramque *Numi* faciem eodem lemmate inscriptam. **TULLIUS**. Potuit hoc errore *Monetarii* accidisse, duas diversorum Numorum for-

formas festinante incuria unum in æs conjungentis, ut, illo cum-primis ævo, pluribus exemplis doceri potest. Elogium porro in hoc Numo conficiunt voces *Virtus Inviæti*: quæ probant, Virtutis nomine Fortitudinem hic bellicam prædicari.

IV.
Tab. V.
n. 15.

PUBLIUS. Proximus Numus æreus parvus *Constantini M.* haud paulo splendidius Elogium continet. Sedet in eo Vir feminudus ad lavam super thoracem, cum hasta, forte Augustum Dei redhibens forma. Ex adverso Miles, vel Dux armatus, ad cujus pedes Clypeus jacet, Augusto globum, aut Orbem tradit, cui Phoenix capite radiante insistit. Epigraphæ: GLORIA SECVLI VIRTUS CÆS. aris. Infra: P. ercussa R. omæ. *TULLIUS*. Non e communibus est hic Numus tuus: cui parem edidit Ill. *Spanheimius* Tom. I. p. 287. forte majorem nonnihil, ac nobilioris metalli: ubi vero ad pedes Militis armati canis est, loco clopei: & in epigraphæ vox *Cæsaris* integra est. Nihil in eodem exposuit Vir magnus, nisi, quod *Phœnicem*, de quo ibidem ex proposito disseruit, *Solis Avem* plurium testimoniis prædicet, Soli sacrum, & radiis confimilem, ac proinde *Seculorum felicitum, ac Gloriosorum* bellam imaginem.

V.
Tab. V.
n. 16.

PUBLIUS. Subsequens Numus æreus parvus *Valentis* Imperatoris, ipsum stantem exhibet: qui dextra procumbentem hostem plene subigit, lava vexillum sustinet, in quo Christi Monogramma. Circum: GLORIA ROMANORUM. Hoc Elogium an, e sensu Inventoris, ad Crucem potius in Labaro, an ad Imperatorem spectet? ambigere possis. *TULLIUS*. Utrumque recte, cum *Valens* virrute Crucis in Thraces, ac Sarmatas, Gothosque

Tab. V.
n. 17.

sæpe prævaluerit, *PUBLIUS*. Quem deinde pinxisti Numum *Constantini Magni*, duos Milites habet, cum clypeis, & hastis adstantes, intermedio Labaro Christiano, cum epigraphæ: VIRTUS EXERCITUUM. Infra: A. i. e. *Officina prima SIS. cia.* Aliis porro in Numulis *Chrispi, Gratiani, Arcadii*, vel stat Imperator a Victoria coronatus, vel erigitur vexillum votivum affidentibus captivis, vel duo Milites cum duabus Aquillis laureatis adstant, cum lemmate: *Virtus, Exercitus, Exerciti, aut Exercituum.* *TULLIUS*. Adeo erat ævo illo Monetariorum ingenium constriatum, ut in Communibus Augustorum inferiorum Numis eadem Inscriptiones fere sexcenties recurrant. Quapropter, ut mole, sic gratia, Superiorum temporum Numis magnopere concedunt: sic Aureos, &
Argen-

argenteos. eo tempore rarissimos, deinde Medalliones adhuc rariores, exceperis.

PUBLIUS. Numus decimus octavus peregrinus est mihi: qui Imperatorem equitem dextra extenta ostendit, cum epigraphe: **GLORIA EXERCITUS GALLI**, *icani*. Infra: *P. ercussa TR. eviri*. **TULLIUS.** Aureus hic Numulus minimus *Constantini M.* sine dubio extra omnes communes est, *D. Mich. Angelo de la Chausse* dignus visus peculiari Dissertatione, Romæ a se An. 1703. evulgata, & recusa in *Electis Rei Num.* n. 25. p. m. 282, sqq. ubi & Numulus ipse Tab. V. n. 4. exhibetur. Conjicit vero hic Gallus eruditus, cusum esse hunc Numum ad honorandum Exercitum Gallicanum, cujus virtute *Constantinus M.* Treviri digressus, Italiam petiit, ibique, per ostensum sibi Crucis Signum animatus, *Maxentium* tyrannum debellavit. Quo pacto, sive Imperator, sive Monetarii, ut Virtuti gratas vices rependerent, hoc Elogio publico milites affecissent. Id cum abnuere nolim, existimo tamen, cuilibet ad primum Numi hujus aspectum visum fore, Imperatorem hic potius prædicari tanquam *Gloriam Exercitus*, uti aliis in Numis *Gloria Romanorum*, vel *Virtus Exercituum* appellatur. *Argelatus* in *Mediobarbo* a se curato p. 463 consimilem *Constantini* Numum recensuit, cum epigraphe: **VIRTUS EXERCITUS GALLI**. In cujus Aversa Mars graditur cum hasta, & tropheo, utrinque assidente captivo. Infra legitur: **SIS. cia.**

PUBLIUS. Minori putem, immo nulli dubio substat Numus **XIX.** nus æreus parvus *Constantii*, filii *Constantini Magni*, plane superbo præconio facundus. Circum enim Imperatorem hic stantem cum hasta, & a retro adstante *Victoria* lauro coronatum, scribitur: **SALVATOR REIPUBLIC. æ.** Infra: **SISC. ie.** **TULLIUS.** Ut hæc plana videantur, fecit attamen Medallio aureus *Vetranionis* Tyranni cuidam dubio locum. Edidit hunc *Erasmus a Seidel* Nobilis Marchicus, cum Epistola ad *Laurent. Begerum*, *Wratislav.* An. 1687. recusa in mox laudatis *Elect. R. N.* p. 292. sqq. Medallionis imago Tab. V. ibid. exstat n. 5. differtque a Numo tuo parvo, quod Imperator hastam quidem læva, sed Labarum Christianum dextra sustineat. Unde suspicabatur *Seidelius*, Salvatoris Elogium Christo potius, cujus adesset Monogramma, quam Imperatori tributum fuisse. At præsens Numus, Christi Signo carens, certe docet, Imperatori *Constantio*, quando *Vetranionis* ti-

ranni motus novos tam velociter oppressit, Salvatoris elogium ab iis, quos ad officium redegerat, metu, vel adulatione, dedicatum fuisse. Quod non magis mirari oportet, quam in *Theodosii M.* aliorumque Augustorum Numis, prædicatum fuisse, palamque Imperatori acclamatum: *Salus Reipublicæ.*

VIII.

PUBLIUS. Omnes tu Numus ancipites facis, quos ego planissimos rebar. *TULLIUS.* Non mihi, sed aliis, quorum sensum refero tibi peregrinum, hoc tribuas. Censeo autem, a naturali verborum, atque imaginum notione, quam primo conspectu pariunt, absque gravi rationum pondere, facile recedendum non esse. Nam credi oportet, unumquemque, qui loquitur, aut scribit, sententiam suam, animique sensum, liquido pandere voluisse, & ea substituisse verba, quæ illum clarissime prodant. Hac regula qui nititur, innumeris dubiis, tricisque prolixis, quæ sæpe meri ingenii causa, contra mentem etiam propriam, ad alios vexandos jactantur, fores haud inutiliter occludet.

IX.
Tab. V.
n. 20.

PUBLIUS. Superest adhuc Numus ultimæ Tabulæ hujus, *Maxentii* æreus medius, ac meus, impar vero aliis duobus, quos teneo, ipsum referentibus. Ubique Templum est: sed in primo sex, in altero quatuor columnarum, ut hic. Primus Romam in medio confidentem exhibet, cum hasta, & orbe. In altero eidem, ad latus lævum sedenti, accedens Victoria laurum offert, ac palmam. Idem & in præsentem facit: in quo tamen singulare est, extra templum utrobique erectam stare Aquilam Legionarem. Epigraphæ omnium par est: *CONSERVAT. ori UR-BIS SUÆ.* Infra: *AQ. uilæ P. erussa.* *TULLIUS.* Vulgares valde sunt ejusmodi Numi, non *Maxentio* solum, sed quibuslibet proxime ipsum Augustis, ac Cæsaribus cusi, nullo meritorum discrimine: ut vis, metusque luculente appareant. Hunc vero Numum tuum Aquilæ Legionares a plurimis aliis discernunt. Roma se conservatam ab eo hic prædicat, quem a militibus duntaxat acclamatum, non probatum a Senatu, ferre debuit gemens, non gaudens exceptit. Quocirca adversus crudeles ejusdem carnicinas *Constantinum* advocavit. Non itaque Elogia, quibuslibet Augustis quasi Victoribus inscripta, merito eorum nitebantur.

DIALOGUS XV.

De Præmiis Victorum, cum primis de
CORONIS publice signatis.

TULLIUS.

Roma Orbis Domina fieri omni cum contentione percupi-
ens, juvenes omnes in bellum coëgit. Militum Ordinem
Civibus domesticis prætulit, & absque stipendiis milita-
ribus egregie factis nemini aliquam ad honores viam re-
liquam fecit. Duram ergo castra sequendi necessitatem, arduam
belli disciplinam, & exercitationem, quotidiana vitæ discrimina
tolerabilia suis facere cupiens, *Præmiis* in bene merentes libe-
ralissima fuit: sed quæ honori quidem cederent, fortunam vero
domus, censumque parum augerent. Ita Reipublicæ sine sumtu
profusam esse licuit: Militibus autem Præmia sua sic animos ac-
cenderunt ad Gloriam, ut molliæ commodorum, rei que fami-
liaris opulencia eosdem nequaquam dissolverent.

Quia porro Militum omnium erat, sudare, & algere, atque
hoc pacto bene mereri: infimo etiam cuilibet Præmiorum spes
certa supererat, quæ minime falleret: nisi, cum quandoque si-
multas, & invidia, pulchrum Justitiæ ordinem perverterent.
Cum vero Numos tecum vestigare, non Historiam Romanam te-
xere proposuerim: ac Militum Gregariorum Præmia publice si-
gnata non fuerint: eorum duntaxat Honorum, quibus Duces, ac
Imperatores affecti sunt, Exempla hic sperare te licet. At ne
plane ignarus abeas in re, quam forte vehementius cupis: aliqua
tibi saltem etiam de Militum Præmiis, sed summo compendio,
præfabor. *PUBLIUS*. Quantumlibet pauca tu dixeris, ego ta-
men rerum pulcherrimarum notitiam per te uberem consequor,
ac lumine, quod mihi accendis, amplissime video. Fare igitur,
age, quia res digna est homine ingenuo, honestate magis, quam
commodis, ad illustria duci.

III. *TULLIUS*. Præmiorum alia communia erant, ac perpetua consuetudine pro Victoribus, Veteranis, Emeritis, justamque Missionem consecutis omnibus, constituta: videlicet Stipendium, quod augebatur: *Frumentum*, i. e. Annona largius præbita: *Commoda* denique, si Coloniis novis deductis, distributi sunt in Milites Eremitos Agri, adjectis Municipii juribus: vel si annua pecuniarum portio Senibus, minusque jam corpore valentibus, gratia Cæsarium penderetur. Quam in rem *Augustus*, teste *Suetonio*, peculiare *Militum Ærarium cum vectigalibus novis instituit*, ne, aut etate, aut inopia, post missionem sollicitari ad res novas possent. Alia rursus erant *Præmia Singularia*, peculiaribus meritis destinata, & his tantum, qui ea collegerant, impensa. In quibus opus non est, Gradus altiores Præfecturarum inferiorum, Decurionatus, Centurionatus, cooptationis in Prætorianarum Cohortium numerum, & reliqua hujusmodi commemorare. Solummodo enim hic mihi de *Donis Militaribus* agere animus est, quorum publica largitione, Merita singularia palam recognoscebantur.

Cap. 49.

IV. Ubi velim: reminisci te verborum *Valerii Maximi*, supra *Dial. IX. n. 9.* a me excerptorum, quibus ipse *Luc. Sicinii Dentati* gloriam recensuit, ajens: Eum novem triumphales Imperatorum Curus inscutum, totius Civitatis oculos in se numerosa Donorum pompa convertisse, sibi prælatis Aureis Coronis octo, Civicis XIV. Muralibus tribus, Obsidionali una, Torquibus CLXXXIII. Armillis CIX. Hastis XVIII. Phaleris XXV. Audis hic ex homine, qui diu Castra ipsemet secutus, rem oculis hausit, subque *Tiberio Imp.* claruit, omnia Militarium Donorum genera uno cumulo percensita: de quibus ego nunc peculiariter, brevissime vero commentabor.

V. *Torques* a collo pendulos, item *Armillas* brachiorum dextrorum ornamenta, non a metallo, sed sola Præmii publici existimatione pretium duxisse, tam ex copia, qua dispensabantur, cum unicus *Dentatus* plusquam trecentis gloriaretur, tum ex cæterorum Donorum descriptione, facile intelliges. Vilis ergo metalli erant, de quo dicere licuit: *Non omne, quod splendet, aurum est.* Honorem autem non vilem sic munere publico ornatis contulerunt, ex quo innotuit omnibus, soli militum Virtuti hoc pacto testimonium reddi. Immo nec debebant esse pretiosi *Torques*, Militibus præmio dati, ut ab illis, quos pompæ causa ære suo compa-

ratos alii gestabant, visu ipso discernerentur. Plerumque filis duntaxat auri, argenteve spurii, funiculorum in morem contextis, & annulari forma colligatis, constitisse scribuntur, sicut & *Armilla*.

Phalera distribuebantur in Equites, rem præ cæteris eximie gerentes, & Equis in decus cedebant, frontibus eorum appensæ. His quoque aurum, vel argentum, inductum duntaxat, fulgorem aliquem adscivit. *Hastæ puræ* erant persæpe ex ligno plane communi, subinde colore aliquo depictæ, nulla vero cuspidè præfixæ, quocirca *puræ* dicebantur, ut chartam puram dicimus, cui nihil inscriptum. Tales nemini, nisi donato, gerere licuit. Sic etiam sentias de *Vexillis* parvulis, alio Equitum dono, vilis panni, jam uno solum, jam vario colore tincti. His omnibus nemo ditior fiebat: id autem honoris, qui auro contra existimabatur, consecuti sunt Milites, ut eisdem ornati, Imperatorem suum Romæ triumphantem comitari auderent, Urbisque totius oculis virtutem suam, his præmiis affectam, prædicare.

Ast non paulo glorioseus erat, *Coronis* jactare se potuisse: quæ, ut quis varie meritis erat, etiam formæ, ac laudis variæ fuerant. *Coronæ Aurææ*, non a metallo divite, quo essent, sed fulgore auri duntaxat exterius inducto ita compellatæ, nec alterius rei formam distinctam habentes, dabantur pro quibuslibet fortibus factis: quales octo *Dentato* prælatas, *Valerius* prædicavit. *Civica* omnibus illustrior censebatur, arcano Reipublicæ ingenio, ut, quanti suos Cives illa faceret, palam constaret, ac vicissim impetraretur a Civibus, Reipublicæ commoda etiam vitæ, & sanguini antehaberi. Fiebat e frondibus *querneis*: quod hæc Arbor, Jovi sacra, Religionem inspiraret: præterea longavitate sua conservatæ in longius vitæ symbolum existeret. Plectebatur nudis ex ramusculis, nullo penitus ornatu alio superaddito, ut ne quidem externo splendore speciem quamdam Lucri præferret, Patribus nimirum *salutem Civis in pretio esse nolentibus*, quod *Plinius* ait, *clara professione, servare hominem nefas esse lucris causa*.

Dabatur illi hæc *Corona*, qui extra calorem communis pugnæ Civem jamjam ab hoste periturum, hoc interfecto servaverat: nam ipsa in acie dimicabant omnes pro se, ac pro omnibus, æquali periculo. Servatus ipsemet vitam alteri suam fateri debebat, eique *querneum Sertum* suis imponere manibus: quod sæpe majori legis, quam animi æquitate fiebat, dum quemlibet fere

VI.

VII.

Libr.
XVI. c. 4.

VIII.

fere puderet, se Concive Servatore eguisse. Interim sic coronatus, instituto antiquo, facultatem accepit, in Orchestra Patriorum publicos inter Ludos confidendi: quo dum intraret, universus eidem Senatus assurrexit. Publicis oneribus, ac operis gravioribus, tam ipse, quam Pater, Avusque, perpetuo eximebantur.

IX. *Obsidionalis* Corona Militum præmium non erat, sed ipsorum Ducum, qui urbem, Civibus, aut Municipibus Romanis habitatam, ab hostium obsidione liberantes, non unum, sed plures Cives conservaverunt. Hæc *Graminea* fuit, illo ex agro plexa, quo depulsus est hostis, pariterque venerationem traxit e Martis Religione, cui Gramen dedicabatur. Ne autem ex obsidenda, vel eliberanda urbis per arduo labore Militibus nihil præmii accederet, fiebant etiam Corona *Vallis*, atque *Muralis*, deauratis e laminis. Prior istarum habebat formam *Valli*, eique dabatur, qui Valla, vel Castra hostium primus irrupit. Posterior *Muri pinnati*, & quasi *turrium* speciem prætulit, ejus præmium, qui primus in Murum ascendit. Demum & *Navalis* quoque Corona fingebatur, dicta *Rostrata*, quod aureis laminis, quasi Rostri navium, compingeretur. Hac illi coronabantur, qui præclarissime egerant, cum Classe pugnaretur. Sed hæc paucissimis obtigit, quoniam Romani, neque tam frequenter, neque tam feliciter, mari, ac terra, conflixerunt. Specimen hujus Coronæ dant *M. Agrippæ* Numi, quorum unum tibi Part. I, Tab. III, n. 17. pinxi.

X. Et hæc obiter excerpere tibi libuit ex *Rosno*. per *Demsterum* curato Antiquitat. Romanar. L. X. cap. 26. & 7. *Samuel*. Item *Pitisci* Lex. Antiquit. suis Vocib. ac Liter. Atque *Acerra nov.* Philolog. Part. I. a pag. 385. egregiis ibi testimoniis firmata, multis vero etiam quæstionibus disputata. *PUBLIUS*. Paucis juxta me docuisti, ac bonis. Nescio, quam brevitatis gratiam habeat, ut ea Magistra summa cum voluptate discatur. Comparo me jam ad Numos tuæ Tabellæ ultimæ perelegantes contemplandos, cum ita volueris. *TULLIUS*. Volo sane. Poteram vero capita *Bellicæ Gloriæ Augustæ*, quæ supersunt nobis, tot Numis coram te explicare, qui facile quinque alias Tabellas expleissent. Sed Libelli, non Libri, Tironibus, prima cujuslibet Artis Rudimenta posituris, conveniunt.

PUBLIUS. Numus I. plane peregrinæ mihi formæ, herbam XI. fistit ignotam, e qua plexa est Corona, quæ in medio appellatur Tab. VI. ISTHMIA. Circum ex *Legenda* residuum est: - - - - ENO II n. 1. VIR. is COR. *inibi*. Ni tamen fallar. **TULLIUS.** Haud falsus es. Romani consilium, Coronas in Milites distribuendi, ceperunt ex Græcis. Horum namque in Ludis, Certaminibus, & Agonibus, *Olympicis, Pythiis, Nemeis, Isthmycis*, Coronæ variis ex herbis, & frondibus plexæ, Victoriis proponebantur. Erat hoc tantum Gloriæ illicium, ut universæ Græciæ Juventus eo conflueret: non, quod Coronæ alicujus pretii essent, sed, quod omnes alios agone vicisse, hujus Præmii testimonio, laudem Orbis compararet. **PUBLIUS.** Recordor eorum, quæ his de Ludis jam *Exercitat. Proem. Dial. II. n. 9.* brevissime mihi suggesseras.

TULLIUS. Hujus Gloriæ cupidine cum etiam Nero Cæsar adeo XII. flagraret, ut ad Ludos ipse accedens, Agonothetis publice misceretur: *Coronis* deinde, magis pro Majestate, quam pro merito donatus est, ac vicissim Urbibus illis, ut Imperator, grandibus Privilegiis favit. Ita factum, ut omnes passim Coronæ Agonales ad ipsum Romam transmitterentur, & nemini privatorum spes ulterior eandem adipiscendi, tum quidem superesset. Ipse porro jucundus has Coronas, qua erant forma, publice signatas, Numis in ævum transmitti curavit. Ex his Numus est præsens: quem Cl. *Patinus* p. 90. ac præteritæ Ill. *Spanhemius* I. p. 314. cum aliis tribus evulgarunt. Corona hæc *Isthmia* ex *Apio* plexa est, quamvis deinceps etiam e *Pinu* neceretur. In hoc demonstrando latus est pro more *Spanhemius*: uti *Patinus* in docendo *Neronis* ad hæc Agonalia affectu, atque Urbium in iis deferendis certante obsequio. Quod nostra non interest.

PUBLIUS. Coronam alteram *Rostratam*, atque *Navalem*, Lauro XIII. intertextam, ex antè dictis agnosco. Literæ vero C. A. in me- Tab. VI. dio quomodo legendæ, dubius adhæreo. **TULLIUS.** Lege: C. *æsar* n. 2. *A. ugusta*. Numus hic inter alios hujus Colonæ apud Cl. *Patinum* p. 25. Caput *Augusti* refert in *Adversa*: Corona ista Victoriæ Actiacam, de M. Antonio prelio navali relatam eidem gratulatur. Augusti namque non detrectarunt consueta Militum Præmia, & Coronas, ne suo contemptu easdem viles efficerent. Majestate tamen sua indignum rebantur. aliena ex manu illas accipere. Admittebant vero, immo cupiebant, easdem sibi Senatus consulto

Metam. decerni, & vel ante fores Pratorias, vel in Capitolio suspendi,
I. v. §62. ac omnium oculis in sui gloriam subjici. Unde *Ovidius* de lauro:

Postibus Augustis eadem fidissima Custos
Ante fores stabis, mediamque tuebere *Quercum*.

Magis autem placebat, easdem vel Romæ, vel in Coloniis, auro, argentoque, & ære lignato æternæ memoriæ transcribi.

XIV. *PUBLIUS*. Numus III. rursus ignota mihi Corona superbit,
Tab. VI. inscripto Nomine: AUGUSTUS. Quænam illa? *TULLIUS*.
n. 3. *Myrthea* foliis latis, ac tenuiter dentatis, Ovantium olim propria,
quævis postea, ex æmulatione cum Triumphantibus, etiam:
qui ovabant solummodo, se Lauro incingerent. Tenes *Augusti*
Numos, Laurea Corona ornatos: cui proinde ut nulla deesset,
Item n.4. *Myrthea* quoque hoc in Numo est assignata, uti *Quernea* in sequen-
ti. *PUBLIUS*. Nosco illam, ejusque titulum inscriptum intelligo:
OB CIVIS (id est *Civeis*, nempe *Cives*) SER V. atos P. atri P. atria.
Possideo autem & argenteum Numum, auro inducto fulgentem,
primæ magnitudinis: ubi Corona quernea gemini Capricorni,
orbem & gubernaculum navale sustinentis, tergo imponitur, cum
inscriptione: S. P. Q. R. P. atri P. atria OB CIVES SERVATOS.
Cur non hunc potius pinxisti? *TULLIUS*. Vide, cui fidas. Belle tibi Numus iste Augustum redhibet, sed artificio manus recentis. Illius etenim ævo Numi aurei, & argentei, primæ magnitudinis fieri nequaquam solebant. De Assibus æreis aliud est, qui semper cudebantur. *PUBLIUS*. Tales *Cæsi Caligulæ* magni duo apud me cubant, intra Coronam querneam, absentibus vero Capricornis, inscripti, ut Argenteus, mox a te reprehensus. *TULLIUS*. Coronam hanc *Augustus* æquius longe præ *Caligula* meruit, optante, ut Populus Romanus unam cervicem haberet, uno ictu præcidendam. *Tiberius*, inter utrumque imperio medius, haud paulo modestior, referente *Suetonio*, Prænomen Imperatoris, Cognomenque *Patris Patriæ*, & *Civicam in vestibulo Coronam* recusavit, neque in Numis ejus aliquando videndam.

XV. *PUBLIUS*. Proximos duos Numos ut ipse recenseras, oro.
TULLIUS. Quemadmodum ad magnificentiam Victorum Ducum, Triumphi præmium sperantium, id omne conquirebatur, quod hoc illustre Spectaculum Gloriæ splendidius reddere poterat: ita
&

& Provinciæ, tam quæ subactæ, & adquisitæ fuerant, quam ex antiquo amicæ, ac sociæ, symbolam suam in hanc pompam *Coronis*, non auro pictis, sed vere *Aureis*, legatione publica submissis conferebant. Quod quidem libero primum officio, mox etiam debito fecerunt. Ab obsequio Victorum transibat hæc res in eam necessitatem, ut, quicumque Dignitatem quamvis summam inirent, uti Consules Romæ, Proconsules, ac Prætores in Provinciis, Imperatores in toto Principatu, similibus *Coronis* æque honorari deberent. Et parum erat, Coronam unam offerri: oportuit, pro cujuslibet provinciæ opulentia, easdem ad numerum submitti, Muneris interim ac Doni nomine retento. Tandem Imperatores id in Tributum converterunt, non jam amplius *Coronas*, sed Aurum purum, aut signatum, quod *Coronarium* dicebant, lege Constituentes.

Testis hujus rei præfens Numus prior existit, ex Celerbr. XVI. *Vaillantio* Histor. Arfacid. P. I. p. 324. tibi pictus. In quo Parthia foeminae habitu sistitur, cum vitta capitis acuta, læva pharetram gerens, arcu pone comparente, dextra extenta *Coronam* offerens: quam Auream *Vologeses* Parthorum Rex, *Antonino Pio* Augusto, non quidem Victori, vel Triumphatori, sed Imperium ineunti, submissit, adscripto Nomine: PARTHIA. Caput *Antonini* Adversam illustrat. Tu tamen *Coronam* hanc, non quasi Tributum imperatum, aspicias, sed tanquam Donum ac Munus amici & socii Regis. PUBLIUS. Multum placet hic Nimus: posterior vero non minus me rapit.

TULLIUS. Editus est hic Denarius, cum capite Herculis in XVII. Adversa, ab *Ursino* in Gente *Cornelia* p. 90. & iterum ab Ill. *Spanhemio* II. p. 213. utriusque sensu signatus a *Cornelio Fausto*, filio *Luc. Cornelii Sullæ* Dictatoris, Genero vero *Pompeii Magni*. Discendunt autem ab invicem laudati Magni Antiquarii: quod *Ursinus* quatuor Coronas laureas, hic circum Orbem positas, ad *Sullæ* Triumphum unicum biduanum, ex Cræcia, Asia, Ponto, & Mithridate Rege actum, referri debere existimaverit. Contra vero *Spanhemius* in sententiam *Vaillantii* propius inclinæ, qui hunc Numum tres ad triumphos *Pompeii*, ex Europa, Africa, Asia, & ex Piratis actos, rectius pertinere arbitratus est. Suae fit hoc ipsi Orbis in medio Coronarum, unacum testimonio *Dionis*, asserentis: præter Triumphum ultimum, pariter biduanum,

apparatum insuper fuisse Magnum, sumtusque ingentis Tropheum, cum titulo: *De Orbe terrarum*. Quod continuo confirmasse videtur *Valer. Maximus*, narrationem de indigna cæde *M. Pompeii* hoc epiphonemate concludens. „Ejus Caput, *tribus Coronis* „spoliatum, in *Suo modo Terrarum Orbe* nusquam sepulturæ locum cum habuit. „Utralibet harum sententiarum valeat, *Coronæ*, hunc Numum ornantes, eum cæteris *Coronariis* Numis, ut ita dicam, recte socium constituunt. *Palme* in eo ramus lauris per se consonat. *Arista*, unum ex Fortunæ muneribus, tessera Felicitatis, Triumpho partæ, non inepte censetur. Immo hunc Numum potius ad *Pompeii*, quam *Sulle* honorem usum esse, quodammodo indicat. Primus namque, non posterior, dum Roma gravi fame laboraret, Senatus Consulto in Siciliam navigans, ingentem inde frumentorum abundantiam, contempto, superatoque omni periculo, vitæque discrimine, advexit, universi Populi acclamatione Pater Patriæ palam deprædicatus.

DIALOGUS XVI.

De Numis, Ovationem, Triumphum,
Quadrigas, Arcus, & Statuas
exhibentibus.

TULLIUS.

- I. **S**Unnum Ducis Victoris Præmium erat *Triumphus*, cum tanta profusione opum, pompæque ostentatione agi solitus, ut, si Scriptoribus hac de re fides integra detur, magnificentius aliud humanæ Gloriæ, vanitatisque Theatrum instituere Mundus non potuerit. Ast non omnibus, quantumvis clarissimis Victoribus, triumphare ex lege permissum est, quousque potestas, & arrogantia nimia, vim legi non fecerunt. Hac porro constitutum erat: I. mo Solum Supremum Imperatorem, *bona-
ribus*

ribus curulibus jam antea potitum, & *suis auspiciis* pugnatem, non alieno imperio missum, triumphare posse. II. do Si bello *justo* vicerit, i. e. hostibus rite per *Feciales* indicto, & æquo eorum numero, saltem 5. Millium, in acie cæso. III. tio Si *Pomœria*, i. e. fines *Reipublicæ* ampliaverit *Victoria* sua, novam *Provinciam* subigendo, & acquirendo: *Veterem* enim solummodo recuperasse, tanti meriti non censebatur. IV. Si hostile, non si *Civile* bellum confecerit: de *Civibus* quippe triumphare, summe *civile* creditum fuit. V. to Si *Victoriam* sic compleverit, ut *Exercitum* victorem *Romam* secum adducere potuerit: non vero, si, *Provincia* necdum ex toto composita, *Legiones* ibi relinquere cogeretur. In has omnes postea *Leges*, cum a *Senatu* *Triumphum* permittendo, tum ab *Imperatoribus* *Bellicis* eundem agendo, haud infrequenter peccabatur. *Lentulus*, *Pempejus*, *Antonius*, *Catulus*, *Cæsar*, & *Augustus*, harum *Legum* tenorem si spectes, *injustis* triumphis claruerunt. *Antiquum* autem *Legis* est factum, atque *natura* quodammodo, ut, *arbitrio* hominum posita, horum similiter *arbitrio* tollatur.

Authorem *Triumphum* volunt *Bacchum*, postquam *Indos* devicisset. *Romæ* primus id *Romulus* æmulabatur, tenuibus autem pro *conditione* novellæ *Urbis* auspiciis. *Grandiorem* superbiam *Tarquinius Priscus* fieri constituit. Numerus *Triumphorum* prope insolens est. A *Romulo* quippe usque ad *Vespasianum* Imperatorem CCCXX. ab hoc usque ad *Justinianum* Imperatorem XXX. celebrati perhibentur. *Initium Triumphum* fiebat in *Castris* *Acclamatione* Imperatoris, *Libatione* Deorum, *Chorsis* *Coronis*, *Ignibus* festivis, erectis *Tropheis*, *gratulatione* Legatorum. Sed quæ omnia huc minus attinent. *Primum*, quod facere *Dux* *Victor* debebat, erant *Litæra Laureata*, i. e. *Lauro* obvolutæ, atque *Senatui* transmissæ, cum *Nuncio*, modoque *Victoriæ* descripto, addita *Triumphum*, & *Supplicationis publicæ* postulatione. Agebatur tunc *Senatus consulto*, an, & quantum, pro rei natura, & *conditione* annuendum foret. Quandoque etenim sola *Supplicatio*, alias *Ovatio*, modo & *Ornamenta Triumphalia*, merito plane integro perfectus *Triumphus* decernebatur, non tamen sine magna per sepe postulantium, ac consulentium contentione.

Supplicatio aliud nihil erat, nisi *Decretum* *Senatus*, quo *indictæ* sunt omni *Populo* *Feriæ* a laboribus, & *injunctæ* *Preces*,

atque Grates, Sacrificiis, Epulis, & Lectiſterniis, communi ſtudio Diis pro Victoria referendæ. Aediles propterea juſſi Templâ omnia aperire: Comitia, & Tribunalia tota urbe vacabant. Trium, vel ad ſummum quinque dierum hæc Devotio fuit. Metu tamen, vel adulatione ſuadente, *Cæſari* XV. XX. XL. immo & aliquando LX. & *Auguſto* poſt Victoriâ Actiacam L. dierum Supplicatio decreta fuit. Porro in hac ſola Victoria quandoque acquieſcendum.

IV. *Ovatio* minor Triumphus appellabatur, & non tam Præmium, quam grata quædam Recognitio obſequii, Reipublicæ præſtitæ erat. Hæc illi fiebat, qui ab Imperatore miſſus, non ſuo auſpicio vicit: Qui Civilibus in turbis molientes invita Republica repreſſit: Qui ſeditionem ſubito impetu in Provincia factô prævertit: Qui meros Graſſatores, pugnx ſubeundæ impares, diſperſit: Qui Provinciam antiquam iterum recuperavit, vel novam quidem, ſine vi tamen armorum, ſola deditione accepit, Victor abinde *incruentus*, & *impulvereus* dictus: Vel tandem, qui vicit quidem, necdum tamen debellavit hoſtem, ulterius metuendum. His talibus Eſſedus, Currusque triumphalis indultus non fuit, ſed pedes urbem ingredi debuerat: quamvis poſtea, provecſta jam arrogantiâ, *Ovantes* equo ſublimes proceſſerint.

V. *Ornamenta Triumphalia* teſtimonium publicum erant, promeritum eſſe quemquam, ut triumpharet. Appellabatur Imperator, obtinebat Lauream coronam auro intextam, Togam pictam, Tunicam palmatam, Sceptrum eburnum, Statuam, Supplicationem, propria Triumphantium Decora: quod optime liquet exemplo *Scipionis Africani*, qui, teſte *Livio*, Numidarum Regem *Muſaniſſam*, cujus inſigni auxilio *Asdrubalem* & *Syphacem* Carthaginenſes vicit, his omnibus Ornamentis, licet exterum, nullo antea exemplo decoravit. Atque hac Gloria Duces omnes contentos eſſe oportuit, Cæſaribus, ut Summa omnia cætera, ita etiam Triumphæ honorem ad ſe ſolos rapientibus. Ajebat enim, *Auguſti*, quotquot ſub ſe ubilibet Exercitum ducerent, Legatos eſſe, a ſe miſſos, ac proinde ſuo, non proprio imperio militare: itaque veteri lege triumphare non poſſe. Ne tamen labori honor deeſſent, ac merces, Victoribus inſignibus *Ornamenta Triumphalia*, quæ ipsis *Triumphæ* loco eſſent, a Senatu decerni procurarunt.

Libr.
XXX.
cap. 15.

Triumphus ergo Culmen honorum fuit, quo altius Victoris Ducis cupido tendere non potuit. Accessit eapropter Urbem cum Exercitu: sed extra illam constitit, & Senatum ad se in Templum Bellonæ evocavit. Ibi Victoriæ modum, & ordinem Patribus iterum æquis cum testimoniis exposuit, atque Triumphi petitionem instauravit: qui vero universi Populi consensu decernendus fuit. Nolentibus ambobus, arrogantiores quidam nihilominus Urbem solemniter ingressi, in Montem Albanum succedebant, cum Capitolio prohiberentur. Cui porro fiebat Triumphi facultas, ea die Supremam Urbis, omniumque Civilium Collegiorum, i. e. quæ Sacerdotum non erant, Potestatem obtinuit: quam concedere solius Populi erat. Vesperi vero eandem ultro iterum posuit.

VI.

Ingressum curru eburneo, auro subinde, gemmisque splendente, faciebat, equorum alborum quadriga præjuncta: donec in horum locum Elephantes majori superbia succederent. In curru stabat Triumphator, toga palmata, & picta indutus, corona laurea incinctus, sed quæ lamellis aureis composita erat. Dextra lauri prætulit rimum, læva Sceptrum eburnum, cui Aquila insidebat. Retro Servus adstitit, rutilam ex auro fusili Coronam, unionibus fulgentem præferens: quem alii Licetorem, immo Carnificem dixere, addentes, iterum, iterumque Triumphatori ab eo suggestum esse, ut se hominem esse meminerit. Splendor etenim Triumphi tantus dicitur, ut facile quis, tenebricoso illo idololatriæ seculo, Deum existimare se posset. Sed hanc commonitionem, ex *Tertulliano* acceptam, permulti piam potius Ecclesiastici Scriptoris interpretationem, pro morum disciplina illam existimant, quam vere factam arbitrantur.

VII.

Apolo-
get. cap.
33.

Ante Currum præferbantur Tabulæ pictæ, cum Ichnographiis Urbium, ac Provinciarum acquisitarum: & Icones Regum hostilium, vel Supremorum Ducum occisorum. Sequebantur longo ordine Captivi, revinctis post terga manibus, vinculisque onusti: in quibus quandoque & Reges erant, aureis catenis prægravati. Spolia deinde præcipua, & Signa hostilia totis ferculis deportata sunt: quandoque & bestię captæ, ut Elephantes, Cameli, & si quæ aliæ ducebantur. Insequebantur Coronæ Auræ Provinciarum, gratulandi studio ingenti numero submissæ. Currum circumdabant Licetorum cum fascibus, aliorumque Servorum

VIII.

gran-

grandis copia: Chori præterea Musici quamplures, vocibus, cornibus, tubis, ac tympanis, Victori præana, laudemque accinentes.

IX. Post eum integri Exercitus victoris Legiones omnes latantes & exultantes insequabantur, laureatis Militum capitibus, Signisque, & Aquilis omnibus pulcherrime ornatis, cum ingentium Præmiorum copia in manibus Militum, quibus ab Imperatore affecti sunt. His plena jocandi facultas erat, licuitque inter Præana, quæ sublati ad Sidera vocibus toto pectore accinebant, Sales quoslibet in Triumphatorem spargere, licet sapius peramaros. Id, quod Militum licentiæ, per se satis petulanti, permittebatur, ut errorum, defectuum, infirmitatum suarum, ipse in medio Gloriæ suæ commoneretur. Ita, *Cæsare* Gallicum triumphum agente, teste *Suetonio*, clamabant Milites: *Gallias Cæsar subegit. Nicomedes Cæsarem. Ecce, Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias: Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.* Item acerbius: *Urbani, servate uxores: mæchum calvum adducimus.*

X. Hoc Processu per splendidissimum Arcum triumphalem pergebatur in Capitolium: ubi Triumphator Jovi suo Opt. Max. bove albo faciebat: pro Victoria laudes dixit: Coronam suam lauream, aliamque magnam Spoliorum partem, cum plurimis Donariis pretiosissimis, eidem consecravit: Tabulam demum aream, cui Victoriæ suam, hujusque epocham inscribi curaverat, religiose suspendit. Sequebatur *Cæna triumphalis*, ab ipso data universo Populo, in omnibus Porticibus, Circis, Locisque publicis recumbenti. Invitabat ad hanc etiam Consules, mox vero rogabat, ne comparerent, *Valer. Maximo* docente: Scilicet, *Ne quis eo die, quo ipse triumpharet, majoris in eodem convivio esset imperii.*

Libr. II.
c. 8.

XI. Habes denuo, *Publi* optime, succinctam epitomen maximæ omnium Celebritatis, quæ Romæ fiebat, ad plurimorum præstantissimorum Numorum cognitionem admodum tibi profuturam. *PUBLIUS.* Memori certe mente has pulcherrimas, planissimasque de Triumpho notitias reponam: ut, cum legero eas in Scriptoribus Veteribus magnis ampullis jactatas, vel Poëtarum acuminibus laconice involutas, intelligam facilius, atque felicius evolvere queam. *TULLIUS.* Rem pauculis Numorum exemplis confirmatam nunc accipe.

XII. *PUBLIUS.* Numus tuæ Tabulæ postremæ *Septimus cum Ove*

Ove ante aram stante, cui culter, maectandæ huic victimæ paratus, adhærere videtur, anne forsitam ad Ovationem attineat? Tab. VI. n. 7.
 Subscriptum lego: C. *ajus* TREBONI. *us* C. *aji* F. *ilius*. TULLIUS. Edidit hunc Numum Ill. *Spanbemius* II. p. 220. cum Jovis Capitolini capite in Adversa, atque, eundem verosimillime ad Ovationem posse referri. Ab Ove liquidem, quam *Ovantes* immolare Jovi debuerant, ut Bovem Triumphantem, nomen Ovationis derivari, prope certum esse, ad mentem *Servii* Commentatoris *Virgiliani*, dicentis de Ovante: „Deducitur ad Capitolium, & de *Ovibus* sacrificat: Unde & *Ovatio*. „ Quamvis *Festus* alia expositione dixerit: „*Ovantes* latantes, ab eo clamore, quem faciunt „ reduces in pugna Victores Milites, geminata litera O, O, i. e. „ *Jo! Jo!* „ Haud enim incongruens videtur, existimare, Romanos in compositione vocis *Ovatio*, ad Ovem simul, & mox dictum clamorem respexisse.

Æneid.
L. IV. v.
s43.

Ego autem, cum Etymologia sic habeat: adhuc tamen perambiguum est, utrum hic Denarius *Ovantis* hostiam redhibeat. In *Fastis* quippe *Capitolinis*, ubi tam *Triumphantem*, quam *Ovantes* omnes, per diligentem enarrantur, *Caji* tamen *Trebonii*, quem laudat hic Numus, nulla penitus mentio incidit. Contra vero liquet, *Idibus* Mensium singulorum *Oves* Jovi maectari solitas esse, *Idiles* dictas, canente in hanc rem *Ovidio*:

XIII.

Fastor. I.
v. s6.

Idibus alba Jovi grandior Agna cadit.

Unde opinari æque verosimiliter liceat, ordinarium duntaxat Sacrificium Ovis, simulque Sacerdotium aliquod laudati *Trebonii*, hic designari. Nos in re explorata conversi, quo libet, hunc Numum tanquam tesseram *Ovationis* accipiamus: quam si non redhibeat, redhibere tamen hac imagine sua commodissime potuisset.

PUBLIUS. Octavo in Numo *Triumphalia Ornamenta* ego quidem intueor, dum Aquilam, Lauream, Togamque pictam conspicio: nisi epigraphe, supra & infra descripta, sensum alium postcat. Tab. VI. n. 8.
 Ego eandem sic lego: S. *enatus* P. *opulus* Q. *ue* R. *omanus* PAREN. *ti* CONS. *ervatori* SVO. Quod elogium prorsus illustre. TULLIUS. Numum hunc denuo ex Ill. *Spanbemio* pinxi: in cujus Adversa Quadrigam equorum videas, & ex *Esledo*, sive Curru marmo-

reo aliam quadrigam exurgentem, quasi Statua hic veheretur, superscriptis Nominibus: CÆSARI AUGUSTO. Pertinet porro hic Numus ad alios plures, eosque perinsignes, qui cusi sunt, dum a Parthis capta Romanorum Signa, sine sanguine, pro sola maxima Cæsaris reverentia, restituta fuissent. Signa, inquam, pro Numinibus habita, & pro quibus, tanquam pro Aris, ac Imperii Majestate, decertabatur. Nec Signa solummodo reddita, verum etiam complura millia Civium captivorum: quorum salute Roma seipsam salvam gloriabatur. Quare *Augusto* tam *Patris*, vel *Parentis Patrie* gloriosum Nomen instauratum, quam *Conservatoris* elogium additum est: simul vero res tanta, Triumpho digna, & par, *Triumphalibus Ornamentis*, hic signatis, pronunciata fuit. Primus autem, observante Ill. Viro, hujusmodi Ornamentorum honorem adeptus erat *Agrippa*, teste *Dione*. Alter sub *Augusto* regnante *Tiberius*, juxta *Suetonium*. Tertius *Agricola* *Britanniæ* Rector, & Victor sub *Domitiano*, uti *Tacitus* docuit.

XV.

PUBLIUS. Nunquid ad hæc *Ornamenta Triumphalia* referre pariter liceat geminos Numos æris magni: qui apud me sunt, priorem *Tiberii*, alterum *Claudii*? Primi namque Adversa circa literas S. G. grandiores in medio, habet Nomen, & elogia *Tiberii Augusti*, cum ejus Tribunitia Potestate XXXVIII. In Aversa *Quadrigam Triumphalem*, sed vacuam. Alter antè capite *Claudii*, titulisque signatur: in Aversa Arcum habet *Triumphalem elegantem*, desuper cum Statua *Equestri* duo inter trophea, cum epigraphe: NERO CLAUDIUS DRUSUS GERM. ANICUS IMP. ERATOR.

XVI.

TULLIUS. *Tiberius*, adhuc Cæsar, primum quidem, *Augusto* Patre procurante, *Ornamenta Triumphalia* consecutus est: cui tamen postea Senatus Triumphum ipsum obtulit. Hunc, suis de causis tunc dilatatum, post biennium solemniter egit. Quapropter Numus tuus prior, quem etiam Eruditiss. *Liebe* in *Goth. Numar.* pinxit p. 276. ipso advertente, potius Triumphum redhibere videtur, cum *Tiberius* in eo jam *Augustus* prædicetur, ac insuper hi Numi, pluries cusi, Currum nunc vacuum, uti tuus, nunc cum Imperatore insistente repræsentent. In altero autem *Claudii* Numo Arcus magnificus citra dubium intra *Ornamenta Triumphalia* censendus est. Etenim docente *Suetonio*, Germanorum eximio Victori *Neroni Claudio Druso*, inter alia plura, *Marmoreus Arcus cum Tropheis* a Senatu decernebatur.

Nu-

PUBLIUS. Numus nonus est imago (Denarii mei Argentei XVII. subarati : in cuius Adversa, ubi pellicula argentea maxime rupta Tab. VI. est, Caput Romæ galeatum agnosco. In Aversa Currui, qua- n. 9. tuor Elephantibus tracto, quibus insident pueri rectores, Triumphator, Aquilam ferens, insistit. Præcedit Miles cum Signo Cohortis. Supra visitur Corona laurea : infra lego : *M. arcus MARCELL. us M. arci F. ilius M. arci N. epos. TULLIUS.* Æs in hoc Numo, falsarii manu argento suppositum, eum tibi vilio- rem reddere non debet, immo chariorem. Cum primis, quia differt ab illo, quem vulgavit Ill. *Spanhemius* II. p. 215. Ubi omnia quidem alia similia sunt: Miles tamen cum Signo penitus abest. Unde opinari liceat, abolito post animadversam fraudem hoc Numo tuo, alium *Spanhemianum* signatum esse, Milite in signum discretionis omisso. Cæterum Quadriga hæc Triumphalis Elephantina non *Marcellum* illum, qui subscribitur, sed Avum ejusdem Triumphatorem celebrat, quem supra tibi a Spoliis Opimis relatis commendavi. Nolim tamen, existimes, eum, dum bis triumphasset, Effedo suo Elephantes junxisse: amplioris duntaxat ostentationis causa id ab ejus Nepote hoc in Numo est factum. Etenim Pompejus demum primus erat, qui cum Elephantis triumphare proposuerat: ob angustias tamen Portæ id omittere, & Equos, ut alii, præjungere coactus fuit, notante *Plutarcho*. Ducti sunt ergo a *Marcellino*, immo dudum ante ipsum ab aliis, Elephantes in Triumpho, non autem Quadrigæ suæ adhibiti. Quod vero postea Imperatores Augusti fecerunt, maxime quando Populos, cum Elephantibus pugnare solitos, uti Persas, Parthosve devicerunt.

PUBLIUS. Numus decimus Quadrigam equorum sistit, cum XVIII. Aquila in Curru erecta, & alia quadriga inde exurgente: infra Tab. VI. scribitur: S. P. Q. R. Et hic pariter Numus, ut auguror, ex n. 10. iis est, quibus Parthica Signorum Restitutio celebrata fuit.

TULLIUS. Vulgarunt eundem *Golzium*, *Æneas Vicus*, atque *Spanhemius*, imagine modicum discrepante. Ejus deinde rei causa, quam dixisti, omnino est cusus. Tu porro cuperes, Triumphatores plures, a me tibi pictos, videre. Sed mihi nec orium fuit: nec numerum Tabularum augere convenerat. Tibi post ea, quæ hoc in Dialogo ex me audisti, arduum non fuerit, cum Triumphales Numos in Libris aliquando conspexeris, aut in Cimeliis

offenderis, de iisdem statuere: modo eorum, ad quos attinuerint, Historiam Consulueris, quam hic non profiteor.

XIX.

PUBLIUS. Est mihi Medallio spurius *Caracalle*, item *Æreus* medius genuinus *Alexandri Severi*, in quibus uterque in Quadriga equorum triumphans exhibetur: quæ mihi Schemata interim sufficere debent. *TULLIUS.* Hujusmodi proba, & integra Triumphalis pompæ Monumenta raro privatis obtingunt: quin potius illustrium Cimeliorum Ornamenta singularia censentur. Cæterum *Caracalla* in communionem Triumphii de Britannis cum Patre *Septimo Severo*, non merito suo, sed solo affectu paterno venit. *Alexander* autem *Severus* celeberrimo, felicissimoque bello Persico hanc Gloriam jure promeruit.

XX.

Tab. VI.
n. II.

PUBLIUS. Arcum Triumphalem *Neronis*, quem Numus XI. exhibet, semel, ac iterum teneo in *Ære Magno*, fornice uno apertum, Statuis pluribus, & Quadriga equorum in apice, splendide exornatum: quem pone solæ Literæ S. C. *TULLIUS.* *Nero* fatius habuit, in Agonibus Græcis, vel domesticis, cythara, & lyra, cantuque, ad summum decursione vincere, quam armis. Nihilofecius Romam ea Quadriga, qua olim *Augustus* triumphaverat, ingressus est, risum Urbi, non gaudium, Sapientibus vero propter stultitiam, qua Majestatem Romanam contaminaverat, etiam fletum facturum. *PUBLIUS.* Numus XII. in pulchro, elatoque cippo Statuam Imperatoris exhibet, quam pone scribitur: IMP.erator CÆSAR. Nunquid *Augustus* is fuit? *TULLIUS.* Omnino: cui non una Imago bene merenti posita erat. Statuæ namque & Actorum Pacis, ac Belli laudabilium, celebriumque, mercês, ac præmium fuere, uti & Arcus triumphales. Ponebantur in Capitolio, aliisque Foris, ac publicis Viis, magna cum Gloria. Persæpe vero, dum prima Merita quispiam sinistris postea, criminosis, aut noxiis, immo infelicibus duntaxat factis corruperat, majore ignominia diruebantur. Romani quippe, qui rebus tristioribus etiam Tempa lapidabant, neque monumentis hominum quorumlibet unquam pepercerunt.

Item. n.
12.

DIALOGUS XVII.

De Numis, Commoda Victoriarum,
Pacem, ac Restitutam Felicitatem
prædicantibus.

TULLIUS.

Satis hætenus tecum *de Apparatu*, *de Actis*, *de Lucris Belli* disserui: restat, ut etiam de ejusdem *Commodis* dicam. Interest autem inter *Lucra*, & *Commoda*: quod illa sint accessio novæ *Gloriæ*, vel *Fortunæ*, rei que familiaris, ad singulares *Personas* plerumque perveniens: hæc vero sint genus *Beneficii*, quod omnes afficit, ac totas *Provincias* beat.

Primas porro, omnium sententia, tenet *Pax*, ex qua *Commoda* prope omnia reliqua profluunt, aut per eandem nutriuntur. Bellum siquidem *focos*, & *aras*, *jura*, *fortunam*, *sanguinem*, *vitamque* pessumdat. *Pax* itaque, veteri *gnoma*, *bello quaeritur*: sic tamen: ut ex mente *Tullii*, qui tanquam *Romanus* hac in parte sensit, *quantumcunque dulce sit pacis Nomen, resque jucunda, & salutaris, vita tamen, & corpus, cum fortunis omnibus, posteriora Libertate ducantur, nec pro his Libertas, sed contra, projiciatur*. *Martia* nihilominus *Roma*, & *Libertatis* ut mexime *amula*, bello tamen subinde *fracta*, *sæpius fessa*, *Pacis otio gavisam se esse*, plurimis *Numis* testabatur.

PUBLIUS. Primus eorum, quem num. XIII. pinxisti, *Nero* nis est *Numus*, cum *Jani Templo*, ut existimo, *clauso*, & *epigraphæ*: *PACE P. opulo R. omano TERRA MARIQUE PARTA JANUM CLUSIT* i. e. *Clausit*. *Pone Templum S. C.* Hic *Æris mediî Numus* iterum apud me est, tertium vero cum hac *discretionem*, quod loco *Terra marique*, vox *Ubique* adscripta sit.

TULLIUS. Vidisti, & legisti, qualiter fere omnes, usquedum *Cl. Harduino* in mentem venerit, sentire, ac ire contra torrentem. Ait namque in *Plinio* suo: Vocem *Clusit* positam esse pro *Inclusit*.

non, ut vulgo accipitur, pro *Claust.* Æque deinde insulse dici, *Janum*, ac *Jovem Claud.* Sed nec isto in Numo *Janum* ipsum pro Fano suo positum esse, cum Ædificium hic expressum sit Armamentarium, neutiquam Templum. Ait itaque, hunc Numum non Romæ, sed Narbone in Gallia cūsum esse, quod vel fabrica ejusdem persuadeat, Literisque in Voce JANUM distractis in totidem verba, Epigraphen sic legendam esse. Pace *P. opulo R. omano TERRA MARIQUE PARTA I. mperii A. rma-mentarium N. arbone U. rbis M. uris CLUSIT.* h. e. *inclusit.*

IV. Largiamur Viro Magno hanc suam sententiam, & quam Narboni famam exinde comparare studuit. Quæ si etiam per Consensum Eruditorum staret, Numum tamen istum, quia Pacis nihilominus præconem, statione sua in Tabula nostra non moveret. Quam vere autem Nero se Pacem Populo Romano ubique peperisse scripserit, *Suetonius* inuit, ajens: *Janum geminum clausit, tam nullo, quam residuo bello.* Pacem, sed multo rariorem, minimæque formæ Numum edidit *Augustus*, qui Templum Jani semel, iterum, ac tertium occluserat, nempe post Victoriæ Actiæ, post devictos Cantabros, post Sicambros, Suevosque debellatos. Exhibet ille pariter Ædiculam, ac pone illam: JAN. um CLU. sit. Quod similiter hoc de Summo Principe *Horatius* prædicavit, canens:

In Ne-
ron. cap.
XIII.

Libr. IV.
Od. XV.
v. 8. 9.

-- -- -- Vacuum duellis JANUM
Quirini CLAUSIT.

Ecce, quomodo in aurea illa Linguæ Latæ ætate insulsum visum non est, scribere, ac dicere: *Janum clausit*, & pro *clausit*, etiam *clusit*. Alii præterea noti sunt Numi *Augusti* paris argumenti, cum epigraphæ: *Pax Orbis Terrarum*: item alia: *Paci Perpetuæ*. Quæ vero non ejus, sed nati tunc Salvatoris, *Principis Pacis*, Donum exsisterat.

V. Ut porro mysterium Numi præsentis plenius capias, nosse debes ex *Macrobio*: Cum Sabini, Virginum suarum raptum ulturi, Romam adorti essent, festinasse Cives, portam unam occludere, irritum autem labore, quia sponte iterum, ac tertium aperiebatur. Custodibus deinde etiam pulsis, & irruentibus hostibus, tanta vis aquarum profluxit, ut Sabini magnis turbis mergerentur.

Saturnal.
L. I. c. 9.

gerentur. Quod cum in Populum pervagaretur, creditum, ac pro Numine habitum est. Abinde autem huic Portæ *Janualis* nomen inditum, ac præterea sancitum, ut, quoties bellum foret, *Jani* Templum aperiretur, Deoque, opem laturo, exitus fieret. Apertio hujus Templi erat Consulis, qui in bellum ibat, canente *Virgilio*:

Ipse, Quirinali trabea, cinctuque Gabino
Insignis, referat stridentia Limina Consul.

Æneid.
L. VII.

Janus ab hac Templi ejus apertione *Patulcii*, & ab occlusionone *Clusii* cognomina tulit, iterum ludente *Ovidio*:

Nomina ridebis: modo namque *Patulcius* idem,
Et modo sacrificio *Clusius* ore vocor.

Fastor. I.

Claudi hoc Templum a *Numa* usque ad *Augustum*, intra septingentos & amplius annos bis tantummodo contigit.

PUBLIUS. Nunc demum hos Numos meos, tam belle illustratos, mihi gratissimos reddidisti. Teneo autem & alios complures diversorum Augustorum: in quibus *Pacem*, Deæ habitu, aut stantem, aut sedentem, vel columnæ innixam, plerumque cum Cornucopiæ, alias Caduceum, oleam, aut Spicas præferentem, quandoque & face arma comburentem intueor. Quæ vero omnia felicitatis, ex pace provenire solitæ, jucunda symbola in unum colligit, & exhibet Numus, quem pinxisti, Decimus quartus: a te autem recensendus, quoniam græcus est. *TULLIUS*. Tab. VI.
Felix es hoc Numo tuo *Æris* medii, probe satis conservato. Ad-
versa Caput nudum habet, cum titulo: ΝΕΡΩΝ ΚΑΙΣΑΡ: i. e. ^{n. 14.}
Nero Cæsar. In Aversa Deam stantem ipse vides, Columnæ lævo
brachio innixam, quo & Oleam gestat, uti dextra extensa, at-
que demissa Caduceum. Ad pedem dextrum Cornucopiæ as-
furgit: ad lævum ignis exardet, arma comburens: desuper sunt
Spicæ tres colligatæ. Epigraphæ: ΕΙΡΗΝΗ: h. e. *Pax*, quod
est Nomen hujus Deæ. Veterius: ΚΟΤΙΑΕΩΝ ΕΠ.Ι ΙΟΥΔ.ροϋ --
Cotiaensium sub Julio.

VI.

Tab. VI.

n. 14.

Erant hi Phrygiæ Salutaris Metropolitanæ: qui alio Numo
apud *Cl. Patinum* p. 85. etiam sub *Julio*, quodam Prætoris, vel
Ar-

VII.

Ar-

Archonte suo, *Neronis* Matre *Agrippinam* sub *Cybeles* Deæ Phrygiæ imagine adulando honorabant. Quare videtur, eosdem in hoc Numo tuo *Neronis* pariter fastui abblandiri voluisse, quo se *Pacem ubique peperisse* jactaverat. Symbola tibi exponere opus non est, cum eadem tu ipsemet, ut *Notas Felicitatis ex Pace* profluentis, recte sis interpretatus. Hoc addere libet *Spicarum* causa, apud *Ill. Spanhemium* II. p. 642. præstantes duos Numos Græcos magni moduli existere, quorum uterque *Pacis* imaginem sub nomine *EIPHNH* refert. In quorum priore Caput elegans coronatum est *Spicis*, quales insuper etiam pectus exornant. In altero adstans hæc Dea *Spicas* dextra sua præsefert. Quam in rem *Vir Illustris Tibulli* votum adducit:

At nobis PAX alma veni, *Spicasque* teneto.

Nunc residua *Victoriarum Commoda*, ut ea Romani Numis prædicabant, expendamus.

VIII.

PUBLIUS. Omnes, qui sequuntur, hancque Tabulam tuam, ac toum *Bellicæ Augustorum Gloriæ* Theatrum, quod adeo exquisite mihi instruxeras, claudunt, apud me haud semel occurrunt, quamvis lemmatibus, & imaginibus, frequentius commutatis, & aliter combinatis. Qui apud te est *Numero XV.to*, *Hadriani* argenteus, Romam, armis multis insidentem, cum hasta, & tropheo, exhibet. Epigraphe hic est: ROMA RENASCENS: qualem & æreum teneo. In altero ejusdem Denario scribitur: *Roma Aeterna*. In æreis mediis *Neronis*, item *Vespasiani*, eadem pariter confidet, sed *Victoria* parvula, aut lauro prælata, subscripto duntaxat nomine: *Roma*. *TULLIUS*. Ubique hic ista sibi *Victorias* percommodas prædicavit, lauro, tropheo, *Victoriola* se renatam, i. e. nova *Gloria*, quiete, felicitate recreatam, jucunda enuncians.

IX.

PUBLIUS. Numus proximus bis mihi est, æreus parvus, *Aureliani* nimirum, ac *Probi*, eodem cum lemmate, sed imagine diversa. Cum namque in priore stet Imperator cum hasta, & orbe, cui adstans foemina laurum offert: hic in *Probi* Numo, a te picto, ipse stat, hostem devictum conculcans, & lava *Victoriolam* gestans, dextra vero foeminam turritam flectentem erigens, cum epigraphe: RESTITUTOR ORBIS. Laus hæc non
mini-

Tab. VI.
n. 15.

Tab. VI.
n. 16.

minima. *TULLIUS*. Orbis nomine Roma seipsam intellexit, cum se Dominam Orbis arbitraretur. Cæterum jam audisti, hoc æo Imperii magis magisque inclinantis, artem imaginum rudem effectam & exiguum ingenio vigorem fuisse, limitemque semper angustiorum. Quare paucis Numorum schematibus contenti Monetarii, eadem pro libitu in Imperatores tribuerunt: modo imagines, & lemmata varie combinando, Numos aliqua saltem ratione diversos efficerent. Interim *Aurelianus*, & *Probus*, multis Victoriis, cum primis adversum æmulos imperii Tyrannos incliti, hoc elogium utcumque promeruerunt, Orbem Romanum, compressis hostibus, qua poterant, restituere contententes.

PUBLIUS. Parvulus æreus Numus *Constantini M.* quem numero XVII. lineis majoribus expressisti, apud me tertium exstat, cum ejusdem Augusti Maximi capite: ubique in Aversa Tropæum referens, affidente gemino Captivo. Sed, cum hic legatur: *CLARITAS POPULI RO. mani*: in altero scribitur: *Virtus Excessi*: in tertio: *Claritas Reipublicæ*. *TULLIUS*. Egregium e Victoriis *Constantini Commodum Respublica*, vel, quod idem est, *Populus Romanus*, accrevisse sibi profitetur, quando Novam exinde *Claritatem* in se profectam esse, publice deprædicat. Hanc porro majorem esse non posse, pro vanitate, & arrogantia sua, existimaverat, quam si Gentes & Regna, prolato quotidie imperio, donec aliqua superesset pars Orbis, perpetua Victoria subjiceret.

X.
Tab. VI.
n. 17.

PUBLIUS. Typus Numi XVIII. vi, Orbis nimirum super basin elatam cubans, accumbente lancea, supra vero Stellis tribus micantibus, cum lemmate: *BEATA TRANQUILLITAS*: quantum plane obrigit mihi, ast semper cum alio Capite in Adversa, nimirum *Constantini M. Patris*, deinde trium Filiorum ejus, *Constantini*, *Constantis*, atque *Constantii*. Cum præterea in hoc Numo erecta basi legantur inscripta *VOT. a V. i. e.* primi Quinquennii felicitis: in cæteris notantur *Vota X.* aut *XX.* sive Decennalia, & Vicennalia, de quibus Parte V. ta. *TULLIUS*. Tranquillitas Imperii, quod per *Orbem* denotatur, Victoriis cum Pace succedens, insigne iterum Commodum est: quod vero non æque ex his omnibus Augustis in Rempublicam profluxit. Fraternalis enim odiis, bellisque Civilibus, quibus *Constantinus Junior*, ac *Constans* collidebantur, non procuratur illa, sed eliminatur,

XI.
Tab. VI.
n. 18.

XII. *PUBLIUS.* Imago Numi XIX, ni, qui est *Constantis*, Imperatorem exhibet, cum hasta stantem, qui puerum ex desolati cujusdam ædificii ruinis, tanquam collapsæ antea fortunæ symbolo, quasi obscuro ex antro rursus in lucem educit, cum epigraphæ: REPARATIO REIPUBLICÆ. In aliis apud me typis hujus imaginis ubique circumscribitur: *Felix Temporis Reparatio.* Contra superior epigraphæ meis in Numis additur Imperatori aut stanti, & hostem equitem sternenti: aut navi vecto remige Victoria. *TULLIUS.* Non est in his vulgaribus Numis hærendum, ubi plana sunt omnia, nullumque Rationi doctæ vestigationis negotium relinquatur. Sufficit, eos omnes in rem nostram præsentem perbelle facere: & quam commodæ Imperio crederentur Augustorum Victoriæ, luculento testimonio perhiberi.

XIII. *PUBLIUS.* Epilogum facis cum Phœnice, qui capite radiante Orbi Stellato insistit, addito lemmate: FELIX TEMPORIS REPARATIO. Infra: S. ignata M. oneta ANT. iochia. Ita habet apud me a te pictus Numus *Constantis*. In fratris *Constantini* junioris Numo Stellæ in Orbe desunt. In alio *Constantii* hæc Avis monticulo superstat, cum lemmate semper eodem. *TULLIUS.* Pinxit hos Numos etiam Ill. *Spanhemius* Tom. I. p. 287. *Phœnicem* vero fabulosis animalibus accenset: quamvis non a *Plinio* solum, verum etiam longe ante illum, ab antiquissimis & principibus, quos tenemus, tam Græcis, quam Latinis Scriptoribus Historicis, ac Poëtis, Rabbinis quoque Judeorum, & vetustissimis Ecclesiæ Patribus commemoretur. Præcipue vero ab his postremis tanquam Symbolum Resurrectionis Dominicæ, & nostræ a mortuis exhibearur. A Sanctis namque Doctoribus, ait, non eo animo factum id esse, quasi credidissent ipsi, aut asserere voluissent, esse Phœnicem Avem, quæ, postquam annis mille consenuerit, ut vulgo ferebatur, se ipsam exurens, e suis cineribus reviviscat. Sed, ut irrisum, & explosum a Paganis Resurrectionis Mysterium familiari aliquo, & inter eos jam dudum recepto Symbolo adumbrarent, ac tuerentur. Quemadmodum scilicet Paulus Doctor Gentium ex Aræ Atheniensis titulo: *Ignoto Deo*: ansam sumsit, verum Deum ipsis prædicandi, quem ignorantes colerent. Item qualiter ex Poëtæ dicto: *Ipsus & genus sumus*: cujus tamen vim ac veritatem ipsi non penetraverant, argumentum accepit docendi, Divinum Esse ligno, aut lapidi simile cense non debere.

PUBLIUS. Nunquid hoc est antiquissimæ rei vim facere?

TULLIUS. Neutiquam : sed Veritatem in jus antiquum restituere. Quid insulsius commentis his Rabbiorum, e quibus verosimillime Phœnicis incunabula prodierunt. Scilicet, cum cæteræ Aves omnes, morem fœminis gerentes, in Paradiso de fructu vetito gustaverint, solum Phœnicem abstinuisse : & ideo genere quodam immortalitatis perfrui, ut mille annis vegetus, tum seipsum igne accendat, ovo, aut verme relicto, ex quo denuo reparatur. Item, cum omnes reliquæ Aves in Arca cibum peterent a Noëmo : Phœnicem id, ex reverentia, aut metu potius nocituri cibi, prætermisisse. Quod ubi Patriarcha animadvertit, orasse Deum, ut Avi huic vitam perpetuam conservaret. Hanc porro respondisse : *In nidulo meo moriar, & sicut Phœnix multiplicabo dies.* Quæ verba posthac *Jobus* Cap. XXIX. v. 18. sibi usurpaverit. Sed hæc Transpositio, quam etiam apud LXX. Interpretes leges, falsa est : cum Hebræa vox *Thamar* significet *Palmam*, non *Phœnicem*. Sicut & alia vox *Chol* Psalm. XCI. v. 13. pro *Palma* communiter sumebatur, ut recte habeat *Vulgata* nostra : *Iustus ut PALMA florebit* : cum LXX. rursus perperam posuerint : *Iustus ut PHOENIX florebit*.

Reverendiss. Abb. Calmet. Dictionar. Bibl. p.m. 161. voce Phœnix.

PUBLIUS. Nullibi ergo visi Phœnicis testimonia exstant? XV.

TULLIUS. Afferuntur utique : sed ad rem nihil conficiunt. *Tacitus* quidem tradidit, sua ætate vulgatum fuisse, quod *Phœnix* in Ægypto primum sub *Sesostri*, deinde sub *Amasi*, demum sub *Ptoletheo Evergete* Regibus comparuerit. *Plinius* refert, sub Imp. *Claudii* Censura avem quampiam Romam delatam esse, & in publico Senatu exhibitam, pro *Phœnice* venditam : id, quod etiam in Acta publica relatum sit. Subdit autem : *Sed quam falsum esse nemo dubitaret.* Adhæc in Literis cujusdam Æthiopiæ Regis, ad aliquem Summorum Pontificum datis, & adhuc exstantibus, de *Phœnice* in iis Regionibus versante narratur. Fertur quoque, *Clementem* Papam VIII. pennam de *Phœnice*, insignis muneris loco, ad *Elisabetam* Angliæ Reginam transmississe. Sed hæc omnia, & si sexcenta talia cumules, nihil undique probant.

Annal. L. VI. Libr. X c. 2.


Quemadmodum enim Sancti Ecclesiæ Doctores adversum Ethnicos non sic arguebant : *Phœnix Avis reviviscit : ergo & Christus resurrexit.* Sed multo magis : *Vos traditis, ac creditis, Phœnicem reviviscere, salva Ratione : Ut quid ergo resurrexisset Christum, in*

XVI.

omnem rationem pugnare jaclatis? Ubi vim revincendi non ex Phœnicis veritate, sed facilitate credentium desumerunt. Ita e converso non sufficit asserere: His, & his testibus visa, & exhibita est avis, quæ dicta est Phœnix. Sed evincere oporteret: Hæc avis, postquam vixit mille annis, visa est, suo e cinere reviviscere. Quod cum ultra omnium hominum sit ætatem, nullius hominis testimonio potest firmari. Multa, crede mihi, Publi, quinimmo plurima sunt, quæ infinitis oribus hominum, ac calamis tradita, nihilominus fallunt: quibus Antiquitas nihil patrocinator. Mendacium quippe in Mundo cum ipsa statim veritate est natum.

XVII.

PUBLIUS. Per me hæc de Ave sentiat unusquisque, quod volet: ego autem, Honorande Tulli, Phœnicem te ut exhibeas, vehementer optassim. Quoniam nimirum hodie Exercitationem tuam de *Bellica Augustorum Gloria* concludens, quieti te denuo tradis, oro te, atque obtestor, ut brevi rursus evigiles, & Religionem quoque *Augustorum* pari mihi cum candore, nexu, facilitate, & eruditione exponas. *TULLIUS.* Probo affectum tuum, mihi que fidem, tibi datam, integre liberare toto animo sedet: modo Numen adspiret, & ea mihi præsidia conferat, quæ tamen aliorum in manibus reposita, quibus opus est, ut proposito meo, tuoque desiderio satisfaciam. *PUBLIUS.* Erigis me hoc novo promisso magnopere: quapropter thure perpetuo Superis faciam, ut salutem & incolumitatem tibi, cæteris, quorum favoribus eges, optimam in te voluntatem amplissime largiantur.



INDEX PRIOR

Eorum,

Quorum Numi in hac Parte III. pinguntur, allegantur, exponuntur. T. I. 1. *lege* Tabula I. forulo. 1. Dialogo I. Num. 1. marginali.

AEMILII *Marc. Lepidi* Numus, in quo eques ipse tropheum gestat. *M. Lepidus An. XV. Pr. H. O. C. S.* T. III. 6. D. IX. 10. 11. cum singulari *Harduini* expositione.

-- *Luc. Pauli* Numus cum Tropheo, & Rege *Perseo* victo. T. IV. 15. D. XII. 5.

ALEXANDRI *Severi* Numus, cum Jove ad Aram consistentis, adstante Milite, & Signo. T. II. 3. D. VI. 7.

-- Ejusd. Numus, in Quadriga triumphantis. D. XVI. 19.

AMASTRIANORUM Numus, cufus *Faustine* jnniori, cum Victoria, tres tubas gestante. T. IV. 1. D. XI. 1.

ANTONII *Marc.* Triumviri Numi, cum Cohortibus Prætoris, & Speculatorum. T. 1. 3. 4. D. IV. 1. sqq. Item cum Legione III. IV. VII.

-- Ejusd. Numus cum Tiara Armeniaca. T. IV. 5. D. XI. 5.

-- Ejusd. Numus cum Tropheo Armeniaco. T. IV. 16. D. XII. 6.

ANTONINI *Pii* Numi: Cum Concordia stante, & Victoriolam, Signumque militare, tenente. T. II. 1. D. VI. 5.

-- Cum Victoria, tropheum gestante. T. III. 12. D. X. 4.

-- Cum Victoria Britannica in Scuto. T. IV. 6. D. XI. 6.

-- Cum Partho, auream Coronam offerente. T. VI. 5. D. XV. 16.

ARCADII Numus, cum Labaro Christiano stantis. T. III. 18. D. X. 8.

AUGUSTI Numi: Cum profectioe *Caji Cæsaris*, Filii adoptivi. T. II. 7. D. VII. 7.

-- Cum Tabernaculo Pratorio, ut videtur, a *L. Caninio* cufus. T. II. 19. D. VII. 11.

-- Cum Victoria, palmam gestante, 4 Coronis circumdata, a *Luc. Vini-*
cio cufus. T. III. 8. D. X. 2.

-- Cum Victoria remum gestante, & palmam coronante, T. IV. 11. D. XI. 11.

I N D E X.

- Cum Tropæo divite *Publ. Carisii* Legati ejus. T. IV. 17. D. XII. 7.
- Cum Statua *Cossi Lentuli* Spolia Opima ferentis. T. IV. 18. D. XII. 8.
- Cum Partho flectente, & Aquilam Legionarem restituente. T. V. 11. D. XIII. 12.
- Cum *Aegypto capta: Armenia Recepta: Asia Recepta.* D. XIII. 1. Cum Arcu triumphali: *Civib. & Sign. Militar. a Parthis recept.* T. V. 12. D. XIII. 12.
- Cum Corona Laurea Rostrata. T. VI. 2. D. XV. 13.
- Cum Corona Myrthea Ovantium. T. VI. 3. D. XV. 14. Item fictus cum Corona Querneæ, tergo gemini capricorni imposita. D. XV. 14.
- Cum Aquila, Laurea, Toga picta. *S. P. Q. R. Paren. Conf. suo* T. VI. 8. D. XVI. 14.
- Cum Quadriga equorum vacua. *S. P. Q. R.* T. VI. 10. D. XVI. 18.
- Cum Statua. T. VI. 12. D. XVI. 20.
- Cum *Ædicula. Jan. Clu.* Alii ejusdem cum Pace. D. XVII. 4.
- AURELIANI** Numus, cui femina orbem tradit. *Restitutor Orbis.* D. XVII. 9.
- AURELII Marci** Numi: Cum dextris comnissis. T. I. 18. D. VI. 4.
- Cum Rheno sedente. *Alcannia subacta.* T. V. 4. Alii ejusdem paris argumenti. D. XIII. 5.
- BASILII II. & CONSTANTINI VII.** Fratrum Imp. Græcorum Numus, cum cruce super gradus. *In hoc vincite &c.* T. IV. 14. D. XI. 14.
- CÆSARAUGUSTÆ** Coloniae Numus, Caligulae cufus, cum Signis militaribus. T. I. 5. D. IV. 6.
- Item Augusto cufus, cum Corona Laurea Rostrata. T. VI. 2. D. XV. 13.
- CAJI Caligula** Numus, cum Signis, & C. C. A. T. I. 5. D. IV. 6.
- Ejusd. concionantis ad Milites. *Ad locut. Cob.* T. II. 16. D. VIII. 2.
- Cum Corona querneæ. T. VI. 4. D. XV. 14.
- CANINII** *Luc. Galli* Numus, Augusto cufus, cum Tabernaculo Prætorio. T. II. 13. D. VII. 11.
- CARACALLÆ** Numus Græc. cum Victoria in Scuto triumphum inscribente, ab Ephesius cufus. T. IV. 2. D. XI. 2.
- Ejusd. in quadriga equorum triumphantis. D. XVI. 19.
- CARI** Numus, cum Pace Exercitus adstante, quæ Oleam, & Aquilam Legionarem tenet. T. II. 6. D. VI. 9.
- CARISII** *Publ. Legati* Augusti Numus cum Tropæo divite de Cantabris. T. IV. 17. D. XII. 7.
- CLAUDII Tiber.** Numus, cum Caltris Prætoris. *Imp. Recept.* T. II. 15. D. VII. 19.
- Cum arcu triumphali. *Nero Claudius Drusus &c.* D. XVI. 16.
- COMMODI** Numus cum Victoria Germanica. D. XIII. 5.
- CONSTANTINI M.** Numus, cum victoria, quæ Romæ sedenti puerum adducit. *Victoria Gothica.* T. IV. 9. D. XI. 9.
- Cum femina, ante Tropæum sedente. *Gaudium Romanorum. Francia.* T. V. 3. D. XIII. 3. Pares laudati, ubi *Alamannia.* Item: *Franc. & Alam.*
- Cum ipso sedente, cui Miles Orbem tradit. *Gloria Seculi Virtus Cæs.* T. V. 15. D. XIV. 4.
- Cum Labaro Christi erecto inter duos Milites. *Virtus Exercituum.* T. V. 17. D. XIV. 5.
- Ipse eques dextra extenta. *Gloria Exercitus Gall.* T. V. 18. D. XIV. 6.
- Mars gradiens cum tropæo. *Virtus Exercitus Gall.* D. XIV. 6.
- Tropæum cum gemino captivo. *Claritas Populi Ro.* T. VI. 17. D. XVII. 10. In aliis: *Virtus Exerciti. Vel: Claritas Reipublicæ.*

I N D E X.


- Orbis in basi positus. *Beata Tranquillitas*. T. VI. 18. D. XVII. 11.
- CONSTANTII Numus cum Labaro Christi stantis, a Victoria coronati. T. III. 15. D. X. 6.
- Idem stans cum vexillo, in quo Laurus. *Triumfator Gentium barbararum*. T. IV. 3. D. XI. 3.
- Stans cum hasta, & a Victoria coronatus. *Salvator Reipublicæ*. T. V. 19. D. XIV. 7.
- CONSTANTIS Numi. Victoriæ duæ cum gemina lauro. Item: Victoria una cum Serto duplici. T. III. 16. 17. D. X. 7. Ipse stans, & puerum e ruinis ædificii educens. *Reparatio Reipubl.* Item: Phœnix super orbem stellatum. *Felix Temporis Reparatio* T. VI. 19. 20. D. XVII. 12. 13-16.
- CORNELII *Fausi* Numus, cum Orbe, in medio 4. Laurearum, præter palmam, & aristam. T. VI. 6. D. XV. 17.
- COSSI *Lentuli* Numus cum Statua ejus, opima Spolia tenentis. T. IV. 18. D. XII. 9.
- COTLÆNSIUM Numus, Neroni cufus, cum pacis icone. T. VI. 14. D. XVII. 6. 7.
- DECENTII Cæs. Numus cum Christi Monogrammate. T. I. 9. D. IV. 12. 13.
- DIDII *Titi* Numus cum duobus militibus, quorum unus fuste, alter flagro pugnât. T. I. 16. D. V. 17. sqq.
- DRUSI *Neron. Claud.* Arcus triumphalis. D. XVI. 16.
- EPHESIORUM Numus, Caracallæ cufus, cum Victoria Scuto triumphum inscribente. T. IV. 2. D. XI. 2.
- FAUSTINÆ junior. Numus græcus Amastrianorum, ubi Victoria stat cum 3. tubis. T. IV. 1. D. XI. 1.
- FONTEII *Manii* Tribuni Militum Numus, equitis duos hostes subigentis. T. I. 15. D. V. 14.
- GALBÆ *Publ.* Numus, cum Victoriâ, quæ navi vehitur. T. IV. 10. D. XI. 10.
- GALLIENI Numus, cum Centauro, clavam gerente. T. I. 8. alius cum Centauro arcum tendente. D. IV. 10. 11.
- GALLO Imp. cufus Numus a Tyro urbe, cum bove, & Signo Legionis III. Gallicæ. T. I. 7. D. IV. 8.
- GERMANICI Cæs. Numus, cum Aquila Legionari stantis. *Signis receptis: devictis Germ.* D. XIII. 13.
- GORDIANI *Pii* Numus. *Adlocut. Aug.* T. II. 17. D. VIII. 2.
- Idem Euphratem ponte transiens, præeunte Victoriâ, aliis comitantibus. T. IV. 4. D. XI. 4.
- HADRIANI Numus, equitantis. *Exped. Aug.* T. II. 9. D. VII. 8.
- Roma cum tropheo sedens. *Romæ renascens*. T. VI. 15. D. XVII. 8.
- INCERTI Numus, cum Aquila Legionari ad aram. *Signa P. R. T.* I. D. III. 5.
- JULII CÆSARIS Dictatoris Numus, inter fasces, & Aquilam Legionarem stantis. T. I. 11. D. V. 8.
- Eidem affictus Numus cum Trophæo Galliæ. *Consensu Senat. & Equ. Ordin. P. Q. R.* D. XIII. 4.
- LICINII *Publ. Crassi* Numus, juvenem cum equo stantem sistens. T. I. 13. D. V. 12.
- LICINII Augusti Senioris Numus, cum Vallo, ut videtur, formam Crucis referente, & Victore velut ovante. T. III. 1. D. VIII. 11.
- MARCELLI *Marc. Claud.* Numus, Jovi Feretrio Spolia opima deferentis. T. IV. 19. D. XII. 10.
- Idem in quadriga Elephantorum, præeunte Milite cum Signo. T. VI. 9. D. XII. 10.
- MAXENTII Numus cum Templo, extra quod hinc & inde Aquila Legionaris. *Conservat. Urbis Suae*. T. V. 20. D. XIV. 9.

I N D E X.

- MAXIMI** Tiranni Numus cum Æde quadrat^o *Spes Romanorum*. T. II. 14. D. VII. 17. 18.
- MAXIMINI** Thracis Numus cum Signis Militaribus. T. I. 6. D. IV. 7.
-- Cum Victoria bigas agente. *Victoria Germ.* T. IV. 8. D. XI. 8.
- MEMMII** *Caji* Numus, cum tropheo, & elogio Imperatoris. T. V. 13. D. XIV. 2.
- MUNATII** *Luc. Planci* Numus cum Cantharo inter fulmen, & caduceum. T. II. 18. D. VIII. 3-5.
- NASIDII** *Quinti* Præfeti Classis Numus cum 4. navibus. T. I. 14. D. V. 13.
- NERONIS** Numus cum Corona Isthmia Græca, & Agonali, ex Apio. T. VI. 1. D. XV. 11. 12.
-- Cum Arcu triumphali. T. VI. 11. D. XVI. 20.
-- Cum templo Jani: juxta Harduinum cum Armamentario. T. VI. 13. D. XVII. 3-5.
-- Græcus Cotiansium, cum Pace stante, & omnibus ejusdem symbolis conjunctis. T. VI. 14. D. XVII. 6.
- NERVÆ** Imp. Numus cum dextris commissis, Aquilam Legionarem sustentantibus. T. I. 19. D. VI. 4.
- NUMERIANI** Numus, cum Fide Exercitus inter Signa stante. T. II. 2. D. VI. 6.
- NUMONII** *Vaalæ* Numus cum vallo impugnato, ac defenso. T. II. 20. D. VIII. 10.
- PLAUTII** *Luc. Planci* Numus cum Victoria, 4. equos adducente ad Triumphum. T. III. 9. D. X. 3.
- AULI** Numus cum Bacchio Judeo, Arabum Regulo, Camelum tenente. T. V. 10. D. XIII. 11.
- POBLICHI** *Marc.* Numi, cum Pompejo M. & Hispania, diversi moduli. T. I. 10. D. V. 4. 5. Item: T. V. 2. D. XIII. 2.
- POMPEJUS** M. in Numis mox dictis *Poblicii*.
- POMPEJI** *Sexti* Numus, cum nomine Neptuni, & 4. navibus. T. I. 14. D. V. 13.
- POSTUMI** *Luc. Albini* Numus cum imagine *Auli Alb. Postumi* Dictatoris, Latinorum exercitui fortissime resistentis. T. III. 4. D. IX. 5.
- POSTUMI** Tiranni Patris Numus, Milites ex equo alloquentis. *Exercit. Isc.* T. II. 11. D. VII. 9. cum singulari Harduini opinione, laudatis etiam aliis ejusdem Numis.
-- Victoria eundem equitem præcedens. *Vit. Comes Aug.* T. II. 12. D. VII. 10.
- PROBI** Numi. Victoria tropheum ferens. T. III. 13. D. X. 4. Alii cum Victoria Germanica. D. XIII. 5.
-- Protome illius galeata. Inde is eques hostem conficiens. In utraque Numi facie: *Virtus Probi Invidii Augusti*. T. V. 14. D. XIV. 3.
-- Idem sæminam flectentem erigens. *Restitutor Orbis*. T. VI. 16. D. XVII. 9.
- SCAURI** *Aemil.* Numus, cum Areta Regulo Arabiæ flectente, & Camelum tenente. D. XIII. 10.
- SEPTIMIUS SEVERI** Numi. *Victoria* Parthica Maxima. T. IV. 7. D. XI. 7. Fides Legionum. T. I. 4. D. VI. 7. Victoria cum vinculo. T. III. 14. D. X. 5.
- SERGII** *Marci Sili* Numus, lava enses, caputque præcisum ferentis, brachio dextro amisso. T. III. 5. D. IX. 6. 7. cum peculiari Harduini opinione.
- SERVILII** *Caji* Numus, cum duobus equitibus pugnantibus. T. I. 12. D. V. 9-11. Item: cum duobus militibus, gladios erigentibus. T. I. 17. D. VI. 2. 3.
- SICINII** *Dentati Luc.* Numus, cum capite femineo, caduceo, palma, lauro. *Fort. P. R. T.* III. 6. D. IX. 8. 9.
- SULPICII** *Sergii* Numi. Cum Tusculo muris cincto. T. II. 19. D. VIII.

I N D E X.

- VIII. 19. Cum Apparatu Navalium Instrumentorum, & captivis. T. IV. 20. D. XII. 11.
- THEODOSII M. Numus, in quo: *Salus Reipublice.* D. XIV. 7.
- TIBERII Augusti Numus cum Quadriga vacua. D. XVI. 15. 16.
- TIBERII *Absmari* Imp. Constant. Numus, cum Cruce super gradus. *Victoria Augusti.* T. IV. 13. D. XI. 13.
- TITI Numi. Victoria Aquilam Legionarem coronans. T. III. 11. D. X. 4. Victoria prorae navis insitens. *Victoria Navalis.* T. IV. 12. D. XI. 12. Palma arbor, affidente femina, retro stante Victore. *Judaea Capta.* T. V. 9. D. XIII. 10.
- TITURII *Luc.* Numi. Sabinarum raptus. Item: Tarpeja scutis Militum obruta. T. III. 2. 3. D. IX. 1. 4.
- TRAJANI Numi. Is gemina Trophea sustinens. T. V. 1. D. XII. 12. *Dacia Augusti Provincia. Arabia adquis. Armen. & Mesopot. in Pot. P. R. red.* T. V. 6. 7. 8. D. XIII. 7. 9.
- TREBONII *Caji* Numus cum Ove ad aram, & cultro. T. VI. 7. D. XVI. 12.
- VALENTINIANI I. Numus, confidentis in navi, Victoria remige. T. III. 19. D. X. 9.
- VALENTIS Numus, cum Labaro stantis, & hostem subigentis. T. V. 16. D. XIV. 5.
- VALERII *Cai Flacci* Numus cum Aquila, & Signis, in quibus H. & P. T. I. 2. D. III. 8. 11.
- VERI LUCII Imp. Numus, in quo equitat. *Profectio Aug.* T. II. 10. D. VII. 8.
- VESPASIANI Numus, cum Victoria Palmam coronante. T. III. 10. D. X. 4.
- VETURII *Titi* Numus cum Feciali, ut videtur, & Milite adstante, ac tertia figura, porcum secundum tenente. T. II. 7. D. VII. 2. & sqq.
- VINICII *Lucii* Numus, Augusti Triumphos celebrans, cum Victoria, quatuor Coronis laureis circumdata. T. III. 8. D. X. 2.
- VITELII Imp. Numus, cum dextris commissis. *Consensus Pratorianorum.* T. II. 5. Item alii ejusdem Numi paris argumenti laudati, D. VI. 8.



INDEX ALTER

Rerum notabilium.

A.

A *Cœnſi*, *Additivſi*, erant famuli Militum. D. III. 4.
Ærumnule militum quid? D. II. 11.
Ætas militaris quæ? D. II. 3.
Adlocutio, ſive Concio ad Milites, quando, & qualiter fieret ab Imperatore. D. VIII. 1.
Aquila Signum princeps cujuſlibet Legionis. D. III. 8.
Arma triplicis generis erant. 1. Quæ corpus protegerent: 2. Quæ nocerent hoſti: 3. quæ valerent ad obſidiones. Eorum deportatione Milites valde gravati. D. II. 9. 10.
Armille præmia Militum. D. XV. 5.
Augurum & *Aruſpicum* Authoritas & poteſtas etiam in Caſtris. D. VIII. 5.
Auxiliares quinquam dicti? D. III. 4.

B.

Bellice Auguſtorum Gloriæ hic tractatæ Partes. I. Apparatus. II. Acta. III. Lucra. IV. Commoda Belli. D. I. 4.
Belli apud Romanos Indictio per *Fecialem*. D. VII. 5.

C.

Cantabrum genus *Vexilli*. D. IV. 9.

Captivi bello, vinculis ligati ducebantur in triumphum, etiam Reges. D. X. 5.

Cauſarii valetudinis cauſa miſſi. D. II. 12.
Caſtrorum Romanorum forma quadrata, ſpeciem Urbis referens. Ibi *Procaſtria*, *Prætorium*, *Queſtorium*, *Penuarium*, *Quintana*, *Principia*, & *Portæ* quatuor. D. VIII. 12-16.

Cenſus Militum delectum promptum reddidit. D. II. 2.

Centurio quis? D. V. 20.

Chriſti, *Crucisque* Monogramma, & *Labarum* *Constantinianum* unde ortum. D. IV. 12. 13.

Clephydra Fons myſticus Athenarum. D. VIII. 4.

Cohors pars decima Legionis, conſtabat Manipulis tribus. D. III. 3.

Coloniæ *Numi* cum Signis militaribus, denotant ibi poſitos eſſe Milites *Emeritos*. D. IV. 6.

Commoda *Victoriarum* univerſos afficiunt: *Lucra* plerumque ſolos privatos. D. XVII. 1.

Coronæ peculiare Militum præmium, viſiles materia, exiſtimatione ſublimes. *Aurææ*, *Civicæ*, *Obſidionales*, *Val-lares*, *Murales*, *Roſtratae* ſive *Navales*. D. XV. 7. 8. 9. Auguſtis non dabantur: ſed appendebantur ante Pala-

I N D E X.

Palatium, vel signabantur in Numis. 13.

Coronas vere Aureas Provinciae, & Urbes, offerebant Victoribus, primum ultro, mox ex debito. Tandem earum loco indictum Tributum sub nomine *Auri Coronarii*. D. XV. 15.

D.

Decurio apud Equites quis. D. V. 20.

Delectus Militum varius. D. II. 2. 3. 6.

Dilatator bellum citius confecit, quam Imperator. D. V. 8. 11.

Discendi anima est, Rerum nexum, & ordinem nosse. D. I. 1.

Dracones erant Signa stridentia Cohortium. D. III. 9.

Dubia Tironi omnia facere nimis controversius, non expedit. D. II. 13.

E.

Elogia Victorum erant Lucra Victoriarum. D. XIV. 1.

Emeriti Milites dicebantur, qui omnia Stipendia rite confecerunt. D. II. 12.

Exercitus a gravi Militum exercitio in laboribus dictus. D. II. 11.

F.

Fecialium Sacerdotum Antistes Pater patrus, indixit Bellum, feriebat Pacem, ac Fœdus. Utriusque Ritus. D. VII. 2-6.

Floralia Ludi Romani. D. VI. 2.

Fœdus quomodo feriret Fecialis. D. VII. 6.

Fortuna Reipublice distincta credebatur a fortuna omnium caterorum. D. V. 2.

G.

Gradus Militaris erat, quotidie facere 25 millia passuum. D. II. 10. 11.

H.

Hasta pura Militum præmium. D. XV. 6.

Hastati erant Natumajores in Cohorte D. III. 3.

Hypocentaurus quid. D. IV. 11.

I.

Jani Templum, bello apertum, pace clausum unde? A Numa usque ad Augustum bis tantummodo claudebatur. D. XVII. 5.

Icones Deorum, vel Augustorum ornabant Signa Militaria. D. III. 10.

Imperatoris Nomen varii sensus. Verus Imperator bellicus fuit, qui cum imperio mittebatur, commissa sibi fortuna Reipublice, ejusque auspicio. Elogium Imperatoris, a Militibus acclamatum sæpius, innuebat solummodo toties Victorem. D. V. 1-3.

Incoma fuit mensura Staturæ Militaris. D. II. 3.

Jovi Prædatori Victorum Ducum quilibet partem Spoliorum obtulit. *Jovi Feretrio* Spolia Opima delata. D. XII. 1-8.

Isca Britanniae Urbs. D. VII. 9.

Jusjurandum apud Milites fiebat erectis gladiis. D. VI. 3. Sacramenta militaria: quibus non editis pugnare in Castris non licuit, etiam ibi præsentibus. D. II. 7.

Juvenibus omnibus Romæ nubendi, & militandi necessitas imposita. D. III. 1.

L.

Labarum cum Christi Nomine unde ortum. D. IV. 12. 13.

Lauræ Coronæ in apice Signorum Militarium Victoriæ tessera. D. IV. 4.

Legatus Proconsule, Proprætore, Legionis, Augusti. D. V. 6. 7.

I N D E X.

Legio, quotcunque millibus capitum constaret, decem Cohortes numerabat: quælibet Cohors tres Manipulos. D. III. 3. Legionum varia Cognomina, D. IV. 5. 10.

M.

Magister Equitum quis. D. V. 11.
Manipulus tertia pars Cohortis. D. III. 3.
Manubiæ nomen pecuniarum e Spoliis venditis. D. XII. 1.
Manus explicatæ in apice Signorum militarium tessera Fidei. D. IV. 6.
Militaris Rei Romanæ Scriptores, D. I. 4.
Militatum initio Romæ cum solis Civibus, ac peditibus, & optime. Deinde cum omnis conditionis hominibus, & sæpius infelicitè. D. II. 1. Delectum Censui facilem reddidit. 2. Juvenibus omnibus nubendi, & militandi necessitas imposta. D. III. 1. Quænam Civem a militando excusarent. D. II. 5. Militaris Ætas ab anno XVII. emenso usque ad annum XLVI. expletum. D. II. 3. Statura Militaris 5. pedum & 7. unciarum, incommate explorata. 3.
Militum Delectus varius. D. II. 2. 3. 6. Milites, qui cives non erant, stigmatè inusti. 6. Sacramenta Militaria. 7. Salarium Annonæ portio quotidiana: Stipendium æs diurnum. 8. Labor Militum gravis ex Oneribus, & itinere. 10. 11.
Militum arcta Disciplina, & Pænæ multiplices, Ignominiosæ, Acerbæ, Capitales. D. V. 20-25. Mansio, Statio, Hybernatio. D. VII. 12. Castrorum forma Urbica, cum suis partibus. 13-16. Obsidendæ Urbis modus, ordo, machinæ. D. VIII. 7-9.
Militum Præmia communia, & Singularia. D. XV. 1-6, Præmia Ducum. D. XVI. 1. sqq.

Misso i. e. Dimissio Militum ex Castris justa, injusta, ignominiosa. D. II. 12.
Muli Mariani quid? D. II. 11.
Murci quinam dicti? D. II. 5.

N.

Numi tincti, aut mixti metalli sub Caracalla, & aliis. D. VI. 5.

O.

Obsidendæ Urbis modus, ac ordo apud Romanos, & machinæ adhibitæ: Testudines, Turres ambulatoriæ, Balistæ, Catapultæ, Arietes, Cervi, Vineæ, Valla, Plutei, Brachia, Loricæ. D. VIII. 7-9.
Odi monumenta cum lapideis Tropheis perennare longius, primum volebant Romani. Deinde eadem æternæ memoriæ consignarunt. D. XII. 3. 4.
Ornamenta Triumphalia quænam fuerint, meritum Triumphii, non tamen acti: testantia. D. XVI. 5.
Ovatio erat minor Triumphus absque Curru. Unde dicta? D. XVI. 4. 7.
Oves dictæ *Idiles*, quæ mactabantur Jovi singulis Idibus Mensium. Immolabantur etiam ab Ovantibus. D. XVI. 4. 13.

P.

Pax Commodum princeps-Victoriarum: grata quoque Martiæ Romæ, sed salva Libertate. D. XVII. 2. Eam feriebatur Fecialis. D. VII. 5. 6.
Pater patratus Antistes Fecialium. D. VII. 5.
Pedites erant robur Exercitus Romani. Equites vero nobiliores habiti. Classarii ignobiliores. D. III. 2.
Phalera præmia Militum. D. XV. 6.
Phœnix Avis decantata, sed fabulosa. D. XVII. 13-16.

I N D E X.

Pilani qualibet in Cohorte fuere Juniores, militare incipientes. D. III. 3.
Pedanius Centurio generosus contra Hannibalem. D. III. 11.
Pane Militum variæ, ignominiosæ, acerbæ, capitales. D. V. 20-25.
Postumus Tirannus laudatus. D. VII. 9. 10.
Praefectus Equitum horum ordinarius Ductor, absente Magistro Equitum, D. V. 12.
Praefectus Classis. D. V. 13.
Prætoriani qui fuerint, & unde dicti, omnium fortissimi. D. IV. 2.
Premia Militum Lucrum Victiarum. Donando Roma sic liberalis fuit, ut sumtum non faceret. Eorum alia Communia: alia Singularia. D. XV. 1-6. Præmia Ducum longe maxima. D. XVI. 1. sqq.
Principes erant robustissimi Cohortis, jamque veterani. D. III. 3.
Provinciae captæ Lucrum Victiarum, D. XIII. 1.

Q

Qui ritum Nomen Militibus ignominiosum: gratum vero *Commilitonum*, D. II. 12.

R

Roma tota Martia, plerisque in Numis bella, & Victorias refert: quibus terruit etiam non victos. D. I. 3.
Rostratae Naves quales fuerint. D. IV. 4.

S

Sabinarum Virginum raptus. D. IX. 1. 2.
Sacramenta Militaria. D. II. 7.
Salarium dicebatur Annonæ portio diurna. D. II. 8.
Scriptores Rei Militaris Romanæ. D. I. 4.
Sensus naturalis Imaginum, & verborum in Numis non deferendus absque gravi ratione: quod multorum tri-

cas prævertit, ingenii plerumque causa fuscitatas. D. XIV. 8.
Servile bellum Siculum acerrimum. D. V. 18.
Signa Numina Legionum. Erant Afyla: per ea jurabatur: ornabantur, ungebantur, ceu Dii. D. III. 5. 6. Habebantur fatidica. In medios hostes inter pugnae calorem projecta, cogebant omnes post se. 7.
Signum princeps cujuslibet Legionis Aquila unica, Cohortium Signa Lupi, Tauri, demum Dracones. Menipulorum, fasciuli Spicarum, Straminis, aut Fœni. D. III. 8. 9.
Signorum Ornamenta Icones Deorum, vel Imperatorum. Coronæ laureæ: Manus explicatæ: Proræ, aut Rostræ navium. D. III. 10. IV. 4. 6. 7.
Socii Romanorum quinam. D. III. 4.
Speculatores quales fuerint. D. IV. 3.
Spoilia ex hostibus primum Lucrum Victiarum. Æs omne deferrebat ad Ærarium Reipublicæ. Cætera erant Imperatoris bellici. Pecuniæ, ex his venditis obtentæ, dicebantur *Manubiae*. D. XII. 1.
Spoilia Opima qualia. Ter solummodo relata & oblata Jovi *Feretro*. D. XII. 8.
Statuæ fuere Præmia bene merentium Pace, ac Bello, magna cum gloria posita: sed sæpe majore cum ignominia rursus everfæ. D. XVI. 20.
Stipendium erat Æs diurnum, sive merces militis, satis exiguum, quo vita æstimabatur. D. II. 8. Sumebatur etiam pro anno Militiæ exacto: unde quis tot Stipendia meruisse, aut fecisse dicebatur, quot annos militaverat. *Ibid.* 4.
Subsignani quinam. D. III. 4.
Supplicatio erat Edictum Senatus ad omnem populum Urbis, ut Grates publicæ Diis pro Victoria, in omnibus Templis, pluribus diebus agerentur. D. XVI. 3.

I N D E X.

T.

Tarpeja Virginis proditio, & mala merces. D. IX. 3.

Torques præmia Militum. D. XV. 5.

Triarii fuerunt Emeriti Milites jam Stipendiis omnibus perfuncti. D. III. 4.

Tribunus Militum quis, & cuius muneris. D. V. 15. 16.

Triumphus Præmium summum Victoris Ducis. Leges ejusdem rite postulandi: in quas sæpe peccabatur. D. XVI. 1. Author ejus Bacchus habebatur Romæ primus Romulus triumphabat. Ab illo usque ad Vespasianum Imp. numerantur CCCXX. inde ad Justinianum XXX. Triumphus. Initium fiebat in Castris. Postulabatur Literis Laureatis, actio desuper Senatus Consulto. 2.

Triumphalia Ornamenta testabantur Meritum Triumphus, non tamen acti. His Duces Victores sub Augustis, qui sublimia omnia rapuerunt ad se, contenti esse debuerant. D. XVI. 5. Eadem consecuti. 14.

Triumphalis Pompæ, qua, splendidiorem

instruere potuisse Mundus non videbatur, Modus, ac Ordo, cum iis, quæ ante, sub, ac post eum fiebant. D. XVI. 6-11.

Trophea quomodo constructa. Deo alicui sacra erant. Arma hostium suspensa ligneo stipiti. D. XII. 2. Vituperati, qui lapidea Trophea struxerant: cum odium parennare non deberet. 3. Postea tamen Trophea marmore, ac Numis, in memoriam perpetuam transmissa. 4.

Tusculi antiqui, Civitatis vetustissimæ, fata. D. VIII. 6.

Tyrus Phœnicæ Metropolis laudata. D. IV. 8.

V.


Valla quid. D. II. 10.


Velites quinam. D. III. 4.

Vexilla cum primis Equitum erant, & varia. Subinde Peditum quoque. D. IV. 9.

Vibius Acejus generosus Cohortis Pelignæ Præfectus. D. III. 11.


Utensilia quid rei. D. II. 10.











The right page of the manuscript is mostly blank, showing the texture of the aged paper and some faint horizontal lines, possibly from the reverse side of the page or a watermark.

